


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
13
10 G
36

IOHANNIS BORCHOLTEN ICTI. CLARISSIMI ET ACADEMIAE IVliæ quondam Ordinarij,

IN ILLVSTREM

π. titulum

DE PACTIS

Commentaria.

Tertiò nunc edita & à mendis repurgata,

per

STATIVM BORCHOLTEN Rostochiensem.




Cum priuilegio Sacræ Cæsariæ Maiestatis ad annos quindecim.

HELMSTADII


Excudebat Jacobus Lucius,

Impensis Heredum Ludolphi Brandes.

Anno M. D. XCVI.



REVERENDISSIMO, ILLVSTRISSIMO ET GENEROSISSImo Principi ac Domino, Domino PHILIPPO SIGISMVNDO Episcopo Osnaburgensi & Verdensi &c. Duci Brunouicensi & Luneburgensi &c. Domino meo clementissimo. S.



REVERENDISSIME ILLVSTRISSIME ET GENEROSISSIME PRINCEPS DOMINE CLEMENTISSIME,

NEc Deus nec natura frustra res humanas ita disposuit, vt duo potissimum hominum essent genera, quorũ alterum principum & magistratuum esset, alterum subditorum; Et

enim si hoc vel illo, vel illud hoc destitueretur, res humanæ quæ aliàs fragiles sunt & inconstantes, facilimè corruerent disturbarentur & euerterentur: Ponamus enim omnes homines vnius conditionis esse, quis quæso non suis affectibus obtemperet? quis non omnia ex voto agat, quis alterū odio non prosequatur? Hinc profectò rerum omnium humanarum destructio certissima futura esset. Consideremus hominem qui mundi huius quasi effigies est, vnde & μυκρόκοσμος seu paruus mundus à sapientibus dicitur; habemus plura hic membra quædam supe-

ſuperiora, quædam inferiora, quædam exteriora, quædam interiora; certè niſi hæc omnia dominum quendam quaſi inter ſe habeant, cui morem gerant, ad quem ſe accommodent, cuius opera conſilioq́ue vtantur, nîl erit homo, niſi inanis turpisq́; oſsium carniumq́ue cumulus; Caput igitur principale membrum natura conſtituit, ad cuius nutum reliqua membra ſeſe componant, cuius in anguſtiis ope, in ærumnis auxilio vtantur. Eodem modo in magna hac terrarum mole & caput & membra habemus, nec caput ſine membris, multo verò minus

membra ſine capite viuere poſſe poſsibile eſt. Caput hoc Principibus tribuo, qui membra habent ſubditos, quorum opera, velut caput membris, vtuntur, membra verò ſine illo ipſo capite nec viuere diu nec tutò ſubſiſtere poſſunt. Intelligit Celſitudo Tua Illuſtriſsima Clementiſsime Princeps quid paucis his mihi velim, nimirum ſubditis maximè eſſe opus, vt magiſtratum Principesúe habeant, ad quos in neceſsitatibus confugiant, in quibus omnem ſuam ſpem & fiduciam ponant, apud quos in rebus anguſtis auxilium quærant, quorum denique defenſio-

ſionem & tutelam aduerſus inſidiantes, adeoque aduerſus omnem vim atque iniuriam implorent & deſiderent. Non igitur & illi aberrant qui ſcripta ſua, ſuo ingenio ſuaque induſtria, elaborata Reipublicæ literariæ cauſa in vulgus emittentes, potentiorum auxilium & gratiam pro defenſione atque tutela debita reuerentia petunt. Fecit hoc Parens meus piæ memoriæ annis ab hoc non admodum multis, dum præſentem hunc commentarium primum in lucem emitteret: Implorauit is opem Reuerendiſſimi Principis ac Domini,

Domini Eberhardi Episcopi Lubecensis & Verdensis laudatissimæ memoriæ, Celsitudinis Tuæ Inclytæ Antecessoris. Nunc itaq; cum denuò hic tractatus in vulgus edendus esset, nouum quoq; Patronum ei inueniendū esse existimaui, ne omni tutela & defensione destitutus, in eorum manus incideret, qui quasi lupus prædam sic bonorum scripta expectant, vt ea quauis leui de causa dentibus suis pessimis lacerent, & multorum nomen è medio tollant. Cui verò clementissime Princeps magis hic liber debetur quàm Illustrissimæ tuæ Celsitudini? quippe

pè quod ea priori Patrono inclyto huic libro tunc quæsito laudabiliter ſucceſsit. En ergo Clementiſsime Princeps Illuſtriſsimæ tuæ Celſitudini hunc iam librum quaſi tutori pupillum offero, ea qua decet animi ſubiectione reuerenter orans, vt Illuſtriſsima Tua Celſitudo hunc libellum adeoq; me ipſũ in tutelam atque protectionem ſuam clementer recipiat. Aeternus ille rerum omnium parens Illuſtriſsimam tuam Celſitudinem cum tota potentiſsimorum Brunouicenſium Ducum familia æternos in annos incolumem ſaluam-

quę conseruet. Dabantur ex inclyta Iulia a. d. 7. Id. Augusti. Anno cIↄ. Iↄ. XCVI.

Reuerendissimæ
&
Illustrissimæ
Celsitudinis Tuæ
Subiectiss. us.

Statius Borcholten Doctor & Professor ibidem.





IN CLARISSIMVM GERMANIAE IVRISconsultum,

IOANNEM BORCHOLTEN, Epigrammata anagrammatica,


I.

IOANNES BORCHOLTENVS.
LAVS IN BONO COR TENES.

Laus pietas, virtus tibi laus, doctrinaq́ laus est:
INq́ BONO quod COR triplice grande TENES.
O trias alma boni! quid IANE beatius illa
Sanctius aut poterat nobiliusq́ dari?

Nicolaus Reisnerus, S. Palatij Comes, & in Salana Antéceſſor.

IOHAN-




2.

IOHANNES BORCHOLTEN.
EN LABOR ET HINC HONOS.

DVm iuris nodos & legum ænigmata soluis
Sulpitio atque ipso non minor AEmilio,
EN LABOR immensus te vir præclare fatigat,
Immortalis ET HINC est tibi partus HONOS.

Martinus Chemnitius ICtus,
& Duci Pomeran. à consiliis.



IOAN-

IOANNES BORCHOLTEN.
EN NOBIS LAC ET HONOR.



ACalit infantes: honor aſſignatur adultis:
Vt vigeat neutro vita carere poteſt.
Et voce & calamo informans iuuenesque virosque,
Omnibus EN NOBIS LAC es ET almus HONOR.

Henricus Meibomius, Poëta Cæſarius & in Iulia Profeſſor.



ALIVD



ALIVD AB EODEM scriptum Memoriæ

IOANNIS BORCHOLTEN ICti. CL.

Rgo iterum lumen, quo non illustrius vllum
Impositum Elmanis promicuit cathedris:
Quod fulgore suo radiantia sidera vicit:
Quod noctis dubias dissoluit tenebras:
Vnde minora suam repetebant lumina lucē:
Quod multorum operas iuuit, & auxit opes.
Qualis ad Oceani scopulos Syrtesuè dolosas
Stat Pharus, & nautis lampade monstrat iter:
Hoc, inquam, lumen cœlesti fomite plenum,
Flatibus insani turbinis occubuit.
Heu cathedram infelicem! heu pulpita deploranda!
Vester honos, vestrum eheu diadema iacet!

In-

Insurgunt tenebræ & tempestas nigra propinquat:
Obnubet nitidam fors etiam vmbra diem.
Ni lucis sator ætherius, fulgore corusco
Irradians viduas clarificet cathedras.
Ni PATRIAE PATER eximius vacua atria lustret;
Exstinctæ æqualem substituatq; faci
Fata vtrumq; velint tu verò ô nobile lumen
Sydus olympiacis ignibus adde nouum.
Non prius absistes iubar orbi ostendere purum:
Quàm vultus Titan occulat auricomos.



De



De eodem,

PAtria, stirps, animus, prouincia, vita, labores,
Si quem nobilitant, nobilis ipse fui.
Non tamen inflarunt me hæc singula, iunctaue: cessi,
Quique mihi nollet cedere; nemo fuit.




ALIVD.

INcipe formidare necem Diis proxima virtus,
Qui virtute omnes vicerat, ecce iacet.



EXPLI-

EXPLICATIO TITVLI XIIII. LIBRI II. PANdect. de pactis.



DISTRIBVTIO TITVLI IN certa capita.

HVIC titulo de pactis in Pandect. respondet in Codice titulus tertius, libri secundi: in Decretalibus, titulus 35. libri primi: & titulus 18. libri primi, sexti Decretalium, qui omnes itidem de pactis inscribuntur. Capita autem summa, de quibus hîc agitur, hæc sunt. Primùm traditur pacti definitio. Deinde subijciuntur tres pactorum diuisiones. Tertiò explicatur, qui pacisci possint. Quartò, quibus pacisci possimus. Quintò, super quibus rebus liceat pacisci. Sextò, quomodo pacisci debeamus. Septimo & vltimo loco agitur de vi, effectu & potestate pactorum. De his capitibus ordine dicemus. Deus labores nostros fortunet.

CAPVT PRIMVM PACTI DEFINITIONEM eiusque explicationem continens.

1. *Pacti definitio & explicatio.*
2. *Definitio consensus.*
3. *Iurisconsulti in constituendis definitionibus soliciti fuerunt.*
4. *Vlpianus iuris conditor & legum vertex appellatur.*
5. *Pactum à contractu in eo differt, quod ex pacto non oritur obligatio, quæ actionem producit. Ex contractu obligatio descendit.*
6. Συναλλάγματα, *hoc est, contractus, aut μονόπλευρα sunt, aut δίπλευρα.*
7. *Contractus nusquam pacta appellantur.*
8. *Non omnis conuentio pactum est, sed conuentio genus est, sub quo pacta & contractus comprehenduntur.*
9. *Definitio pacti conuenit transactioni, quæ pacto fit, nec tamen propterea est vitiosa.*
10. *Definitio pacti conuenit constituto & hypotheca.*

Pacti

11. *Pacti definitio ad diuisionem, quæ quædam rerum permutatio est, non pertinet.*

12. *Papinianus iuris asylum & doctrinæ legalis thesaurus est.*

13. *Placitum diuisionis pactum est, nec vlli ad actionem prodest.*

14. *Definitio pacti non pertinet ad donationem, quod tantùm de donatione, quæ traditione perficitur, intelligendum est, non de donatione, quæ perficitur pacto.*

15. *Pacti definitio, & pactis legitimis, & pactis iurisgentium conuenit.*

PActum Vlpianus definit his verbis: 1
Pactum est duorum pluriumuè in idem placitum, cõsensus, *l.1. h. tit. & l.3. de pollicita. inf.* Ita in ff. Florentinis legitur. In vulgatis codicibus inter duo postrema verba, vocula ET ponitur, quæ verbum placitum à præcedenti hoc modo diuellit: Pactum est duorum pluriumuè in idem, placitum & consensus. Vtraque autem lectio satis commoda est. Et pactum est consensus duorum in idem placitum: Est quoq; pactum, placitum & consensus duorum in idem. Hoc verbo duorum, pa-

ctum à pollicitatione distinguitur. Pactum est duorum, pollicitatio non est duorum, sed solius offerentis promissum, *d. l. 3. de pollicita. inf.* Nonnunquam tamen pollicitatio etiam pro pacto sumitur, vt *in l. 5 C de contrahen.& committen. stipulat.* Additur in idem placitum, vt error in paciscendo remoueatur, qui vt stipulationem vitiat, *l. inter stipulantem, §. 1. & l. continuus §. 1 de verbor. obligatio.* item emptionem, *l. in venditionibus, de contrahen. emption.* ita quoque pactum, *l. si cum te, hoc titulo nostro.* Error enim consensui contrarius est. *l. si per errorem, de iurisdictio. l. nihil consensui, de regulis iuris,* quod & Tigranes apud Xenophontem *libr. 3. de institut. Cyri, & Aristotel. libr. 3. Ethicor.* tradiderunt: & sine consensu pacta non subsistunt, vt postremum de-
2 finitionis verbum indicat. Consentire verò, eodem Vlpiano authore, est ex diuersis animi motibus in vnam sententiam decurrere, *d. l. 1. hoc titulo nostro,* quod cùm non tantùm à duobus pluribusuè in pactis fiat, sed etiam in contractibus certis, itemque incertis, hoc est, vt vulgò loquuntur, nominatis & innominatis, item in contractibus bonæ fidei & stricti iuris, *d. l. 1. §. penult. ibi,* *nam*

am & stipulatio.h.titu.l.5. de transact. l.3. §. final. de obligation. & action. l. inter stipulantem, § 1. & l. continuus. § 1. de verborum obligation. hæc nostra definitio multis vitiosa videri posset. Verùm cùm non interpretis alicuius, sed Iurisconsulti & artificis Vlpiani sit, & Iurisconsultos in constituendis 3
definitionibus admodum solicitos fuisse ex *l. 1. § dolum malum, & sequentibus, de dolo, l. 5. § final. cum l. sequenti, de peculio. l. Fulcinius, § quid sit autem latitare, quibus ex causis in possessio. eat. l. rei appellatio, l. Labeo libro primo. l. sylua cædua, de verborum signification, & alijs compluribus locis constet*, vitii macula Vlpiano, quem Eutropius li- 4
bro 8. iuris conditorem, & Modestinus ac Iustinianus egregium legum verticem appellant, *l. 2. § final. de excusa. tuto §. final. de æqual. dotis.* temere affingenda non est. Et cùm Vlpianus cùm hic, tùm in *d. l. 3. de pollicitatio. inf.* pactum consensum duorum in idem placitum definit, per consensum, purum, nudum, solum consensum intelligit, ex quo non oritur obligatio natu- 5
ralis & ciuilis, vel ciuilis tantùm, quæ actionem producat. Nec enim pactum obligationem & actionem parit. *l. iurisgentium.*

tium, § igitur nuda pactio, & l. diuisionis, hoc titulo nostro, l. solent, de præscriptis verbis, l. legem, l. cùm proponas, Cod. eodem, de pactis, l. sine apud, C. de transaction. l. 1. C. de pactis conuentis, idque sæpè constitutum esse Imperatores rescripserunt *in d. l. 5. Cod. de contrahen. stipulat.* At omnis contractus est consensus duorum, ex quo obligatio descendit, quæ iure ciuili actionem parit. Sic enim Iurisconsultus in *l. Labeo, lib. 1. de verborum significatio.* contractum definit: Contractus inquit, est vltrò citroq; obligatio. Ad eundem modum contractum Theophilus describit in titulo de obligatio. συνάλλαγμα, inquit, ἐστὶ δύο ἢ καὶ πλειόνων εἰς ταὐτὸ συνέλευσις τε καὶ συναίνεσις ἐπὶ τὸ συνιστῆναι ἐνοχὴν, καὶ τὸν ἕτερον τῷ ἑτέρῳ ποιῆσαι ὑπεύθυνον, hoc est, Contractus est duorum aut plurium in idem conuentio & consensus, ad constituendam obligationem, & vt alter alteri fiat obnoxius. Et quamuis definitio contractus, à Labeone & Theophilo item tradita, propriè ad συναλλάγματα διπλευρα non μονόπλευρα pertinet: tamen hoc συναλλάγμασι διπλεύροις & μονοπλεύροις commune est, quòd ex

iis

iis omnibus obligatio actionem pariens
oritur. §. *fin. Instit. de obligatio.* Vbi Iustinia-
nus obligationes ex contractu esse docet,
vel quasi contractu, & contractus appella-
tione etiam συναλλάγματα μονόπλευρα
intelligit, vt tituli sequentes, in quibus
de mutuo, de stipulatione, quæ συναλλάγ-
ματα μονόπλευρα sunt, agitur, satis osten-
dunt. Hinc ICtus *in l. ex hoc iure, ff. de
iust. & iure* contractus absolutè obligatio-
nes vocat. Ex hoc, inquit, iure gentium
obligationes sunt institutæ. Et obligatio-
nes Iustinianus Imperator contractus in-
terpretatur *in §. ius autem gentium, Insti-
tut. de iure natu. gent. & ciuili.* Hinc etiam
à Paulo ICto traditum est, omnẽ obliga-
tionem pro contractu habendam esse, vt
vbicunque aliquis obligetur, ibi etiam
contrahi videatur, *l. omnem obligationem,
infr. de iudiciis.* Apparet itaq; definitionem
pacti ab Vlpiano traditam contractibus
minimè conuenire, & aliud esse pactum,
longè aliud contractum. Imò contractus
nusquam pacta appellantur. Et quod di- 7
citur traditionibus & vsucapionibus
transferuntur rerum dominia, non nudis
pactis, *l. traditionibus, Cod. de pactis,* ad pro-

positam de pactis nudis quæstionem ab Imperatoribus est rescriptum, cùm leges C ex propositis quæstionibus natas esse constet, nec ex eo inferendum est, contractus ibi pacta dici. Ac nihil ad rem facit, quòd dominia rerum non solùm nudis pactis non transferuntur, sed nec contractibus, nec aliis conuentionibus. Nec enim inde sequitur, Imperatores non ideo minus de nudis siue solis pactis, quæstione de pactis proposita, respondisse. Quamuis etiam idem verbum & generis & speciei nomen esse posſit. *l. 1. de adoptio l. iurisconsultus, § 1. de gradibus. l. pecunia. § actionis, de verbor. significat.* non tamen propterea de pacto affirmari poteſt, pactum & generaliter accipi, vt contractum comprehendat, & specialiter pro pacto nudo, cùm nusquam id traditum sit, vt de adoptione, cognatione & actione locis suprà dictis, eſt proditum. Et prorsus falsum eſt, nec vllius legis authoritate probatur, quod aſſeritur, hanc conuentionem, do tibi vt des, vel vt facias, pactum esse, cùm dicta conuentio συνάλλαγμα siue contractus sit. *l. iurisgentium, in princip. de pactis, l. naturalis, de præscriptis verbis.*

bis. Sic hæc collectio, Prætor in edicto, quo pollicetur se pacta seruaturum, excipit pacta conuenta, quæ dolo malo & aduersus leges fiunt, eaq; exceptio pertinet ad contractus, non ad pacta, propterea quòd contractus, quibus dolo aut contra leges quid promissum est, reum tenent, & actionem pariunt, ideoq; Prætor aduersus huiusmodi contractus exceptionem pollicetur, quam non necesse fuit dari aduersus pacta, quæ ipso iure actionem non pariunt, tot habet vitia, quot penè dixerim verba. Primùm falsum est, dictam exceptionem ad contractus pertinere. Edictum enim de pactis est conceptum, ideóque necesse est, exceptionem quoque ad pacta spectare. Deinde falsum est, quòd contractus, quibus contra leges quid promittitur, reum tenent. *l. non dubium. C. de leg.* Tertiò falsum est, quòd contractus dolo malo factus, hoc enim verbo Prætor vtitur, actionem parit. De contractibus quidem strictis hoc dici potest, *l. si quis cum aliter, de verbor. obligatio. l. penultim. C. de inutili stipulatio. §. 1. Institut. de exception.* sed non de contractibus bonæ fidei, qui dolo malo facti, ipso iure nulli sunt, *l. & eleganter,*

ter, de dolo. Hinc quartò sequitur falsum esse, Prætorem exceptionem dare aduersus contractus, dolo malo aut contra leges factos, quia cùm huiusmodi contractus nulli sint, *d. l. non dubium, Cod. de ll.* & nullam vim habeant, *l. pacta quæ contra leges, Cod. de pactis*, exceptione nulla opus est. Denique si sub pactis conuentis contractus comprehenduntur, sequitur, hæc Prætoris verba, pacta seruabo, ita accipienda esse, vt seruet Prætor pacta datis actionibus quoad contractus: item datis exceptionibus quo ad pacta, quod est absurdum, sicuti non minus absurdum est, verba pacta conuenta, contractus itemq; pacta significare, contra *§ præterea debitor, Instit. de exceptio.*

8 Ex his consequenter sequitur nec omnem conuentionem pactum dici posse. Etenim contractus conuentio est, *l. 1. § conuentionis*, in illis verbis, negotii contrahendi, *& l. iurisgentium in pr. h. titulo nostri*: pactum tamen, vt dictum est, non est. Ac vt paucis rem omnem expediam, Conuentio generis nomen est, *d. l. 1. § conuentionis, h. titul.* diuiditurque in pactum & contractu *d. l. iurisgentium, h. tit.* ibi Vlpianus conuentiones iurisgentium, vel actio-

actionem vel exceptionem parere affirmat, & conuentiones iurisgentium, quæ actionem pariunt, ostendit esse contractus, qui vel nomen proprium habent, vel si nomine vacant, habent tamen causam, hoc est, dationem vel factum, vt latius inf. explicabitur. Conuentiones verò iurisgentium, quæ exceptionem pariunt, docet esse pacta siue pactiones. Sic hæ duæ conuentionis species significantur *in d. l. 1. §. conuentionis h. tit.* Conuentionis, inquit IC. verbum generale est, ad omnia pertinens, de quibus negotii contrahendi transigendiq; causa consentiunt, qui inter se agunt. Verbo contrahendi, contractus, transigendi, pacta ostēduntur. Transactiones enim pacta sunt, vt paulò post dicetur. Et quia pactum, vt dixi, conuentionis species est, idcircò rectè IC. in l. solent, de præscriptis verbis, pactionem conuentionem appellat. Rectè quoq; Cornificius *in 2. ad Herennium, & Cicero in 2. de Inuentione*, pactum conuentionem definiunt, non quòd pactum idem sit quod conuentio, sed quòd pactum tanquam nomen angustius, comprehenditur sub conuentione, generaliori verbo,

Et

Et ſicut omnis homo animal eſt, contra verò, omne animal non eſt homo: ita omnis pactio conuentio eſt, contrà verò, omnis conuentio non rectè pactum dicitur. Quòd verò conuentio, *in l. 2. h. tit. & alibi ſæpè*, pactionem ſiue pactum denotat, nec quidem inde rectè dixerimus, omnem conuentionem pactum eſſe, vel conuentionem & pactum vnum idemq; eſſe. Nam & de homine tractantes, hominem in diuerſis orationis partibus, animal appellare poſſumus: & tamen inde nemo, niſi Logices planè imperitus, dixerit, omne animal hominem eſſe, aut animal & hominem vnum idemq; eſſe Genus ſæpè ad ſpeciem pro ſubiecta materia reſtringitur, *l fin. §. fin. de tri. vino, oleoque lega.* Et verum non eſt, quod dicitur, pactionis & conuentionis definitionem eandem, eſſe, *l. 1. de pactis*, proinde & ipſa inter ſe eſſe eadem. Licet enim conuentio ſit conſenſus duorum in idem: non tamen definitio conuentionis eadem cum pacti definitione eſt. Conuentio eſt conſenſus, ex quo vel naturalis & ciuilis obligatio oritur, vel naturalis tantum. Si oriatur obligatio naturalis & ciuilis, quæ actionem parit,

parit,conuentio contractus est Si natura-
lis tantùm, conuentio est pactum. Et pa-
ctum est consensus duorum in in idem, qui
consensus naturalem obligationem dun-
taxat constituit, *l. 5. de solutio* Sed ad Vl- 9
piani definitionem redeo,quæ ob id quoq;
vitio laborare videtur. quòd in transacti-
onem indicit.Transigentes namq; in idem
placitũ consentiunt,vt in titulo de transa-
ctio inf. dicemus. Ac quidem concedendũ
est, definitionem pacti, ab Vlpiano tradi-
tam transactioni conuenire,sed non ob id
definitio vitiosa est. Etenim pacti defini-
tio,generis est definitio, quæ singulis spe-
ciebus sub genere contentis cõgruit quod
ex collatione similis exempli perspicuum
fiet.Cùm dico,hominem animal esse, hæc
definitio, generis est definitio,quæ omni-
bus speciebus sub genere comprehensis,
aptari potest. Rectè enim dico, Titius est
animal,Pamphilus est animal,Semproni-
us est animal. Quod prædicatur siue di-
citur de genere, homine scilicet, idem re-
ctè prædicatur siue dicitur de singulis
eius speciebus. ICti hominem dicunt
esse genus: Titium,Pamphilum, Sempro-
nium, species. *§. cùm ex aliena materia-*

cum

cum sequentibus Institut. de rerum diuision : Et sic Aristoteles indiuidua ἔσχατα εἴδη, & species πλάτυτα γένη appellat. Ad eundem modum, pacti definitio, Pactum est consensus duorum in idem placitum, generis, vt dixi, definitio est, quæ congruit omnibus speciebus, quæ sub genere continentur. Vt si fiat pactum de non petenda pecunia debita, recte dico, hoc pactum esse consensum duorum. Sic si fiat pactum de non ædificanda insula, quæ ædificari debebat, similiter rectè dico hoc pactum esse consensum duorum. Deniq; si fiat pactum, vt decem accipias, & à lite discedas, hoc quoq; pactum est consensus duorum, & hoc postremum pactum transactio nominatur *l. 1. de transactio. infra*. Sicq; pactum, respectu specierum, genus est, transactio species pacti. Et quod prædicatur siue dicitur de genere, pacto scilicet, idem prædicatur siue dicitur rectè de singulis speciebus sub genere contentis, nec inde inferri potest, generis definitionem esse vitiosam. Hoc tamen, quod diximus, transactionem pactum esse, de trāsactione, quæ pacto conuento fit, intelligendum est, sicuti in titulo de transactio.

inf-

inf. accuratius explicabitur, Sic contractus definitio, Contractus est consensus duorum, obligationem pariens, generis est definitio, quæ ad emptionem, venditionem, locationem, conductionem, societatem, mandatum, depositum, stipulationẽ, & ad reliquas contractuum species accõmodari potest. Sed tamen inde non recte dicitur, contractus definitionem vitiosam esse. Et quod de transactione diximus, ad constitutum & hypothecam (nam & constituto & hypothecæ, pacti definitio congruit) similiter referendum est. Etenim constitutum & hypotheca pacti species sunt. Et constitutum consensu fit, *l. 1. in princip. infr. de constitu pecun.* nulla interposita stipulatione *§. de constitut. Institut. de action.* Hypotheca quoque nuda conuentione, absque rei illius traditione perficitur, *§. Item Seruiana, Institut. de actionibus l. si rem alienam, § proprie, de pignoratit. actio.* Quòd verò constitutum & hypotheca actionem pariunt, id, quemadmodum infra audiemus, iuris Prætorii autoritas facit, quemadmodum de constituto id affirmat Iustinianus *in §. personam, Institut. de action. & ostendit totus*

titulus

titulus de constit. pecu. ref. Et de hypotheca idem tradidit Paulus *in l. si tibi decem, § de pignore, hoc titulo nostro.* Et Iustinianus *in §. item Seruiana, Instit. de action.* Ibi Imperator inquit, quasi Seruiana actio, quæ etiam hypothecaria vocatur, ex ipsius Prætoris iurisdictione substantiam capit. Hinc ab Imperatoribus *in l. maior. Cod. de pignoribus*, est rescriptum, pignoris conuentionem tueri solum pactum, vel iurisdictionem, siue voluntatem conuenientium. Vel iurisdictionem, inquiunt Imperatores, vt ostendant hypothecam non vi sua, & quatenus pactum est, sed ex iurisdictione, hoc est, ex edicto Prætoris actionem parere. Hoc amplius, definitio Pacti vitiosa videri posset, propterea quòd diuisioni, quæ consensum duorum habet, congruere vide-
11 tur. Sed pacti definitio ad diuisionem non pertinet, quod ad hunc modum demonstro. Diuisio, authore Papiniano Iu-
12 risconsulto, quem Spartianus in Seuero, iuris asylum, & doctrinæ legalis thesaurum appellat, est quædam permutatio rerum, communionem discernens, *l. cùm pater, §. hereditatem, post mortem suam rogati restituere,*

restituere. de legat. 2. Et sicuti ex permutatione, siue ex contractu, do vt des, obligatio nascitur, & ex obligatione actio præscriptis verbis datur, *l. naturalis, in princip. de præscriptis verbis ff.* ita ex diuisione obligatio oritur, quæ actionem præscriptis verbis parit, *l. si fratres, C. commun. vtriusque iudicii, l. si familiæ, l. licet, Cod. familiæ herciscundæ, l. si filia, §. si pater, l. his consequenter, §. sed & cum monumentum, ff. eodem.* Secus est in pacto: id neque obligationem, neque actionem producit, quemadmodum supra expositum est. Et hæc de diuisione ipsa intelligi volumus, non etiam de placito diuisionis. Diuisionis enim placitum 13
ad actionem nulli prodest, *l. diuisionis placitum, hoc titulo nostro, l. si diuisionem, Cod. familiæ herciscund.* exceptionem tamen tanquam nudum pactum parit, *d. l. diuisionis placitum, & l. tres fratres, hoc titul. l. cum proponas 2. C. eodem, de pactis.* Sic ex placito permutationis nemini actio competit, *l. ex placito, Cod. de rerum permutat.* & permutatio non ex placito, sed ex re tradita initium obligationi præbet, quemadmodum Paulus loquitur *in l. 1. §. permutatio autem, ff. de rerum permutat.* Quemadmo-

titulus de constit. pecu. inf. Et de hypotheca idem tradidit Paulus *in l. si tibi decem, §. de pignore, hoc titulo nostro.* Et Iustinianus *in §. item Seruiana, Institut. de actio.* Ibi Imperator inquit, quasi Seruiana actio, quæ etiam hypothecaria vocatur, ex ipsius Prætoris iurisdictione substantiam capit. Hinc ab Imperatoribus *in l. maior. Cod. de pignoribus*, est rescriptum, pignoris conuentionem tueri solum pactum, vel iurisdictionem, siue voluntatem conuenientium. Vel iurisdictionem, inquiunt Imperatores, vt ostendant hypothecam non vi sua, & quatenus pactum est, sed ex iurisdictione, hoc est, ex edicto Prætoris actionem parere. Hoc amplius, definitio Pacti vitiosa videri posset, propterea quòd diuisioni, quæ consensum duorum habet, congruere vide-
11 tur. Sed pacti definitio ad diuisionem non pertinet, quod ad hunc modum demonstro. Diuisio, authore Papiniano Iu-
12 risconsulto, quem Spartianus in Seuero, iuris asylum, & doctrinæ legalis thesaurum appellat, est quædam permutatio rerum, communionem discernens, *l. cùm pater, §. hereditatem, post mortem suam rogati restituere,*

restituere, de legat. 2. Et sicuti ex permutatione, siue ex contractu, do vt des, obligatio nascitur, & ex obligatione actio præscriptis verbis datur, *l. naturalis, in princip. de præscriptis verbis inf.* ita ex diuisione obligatio oritur, quæ actionem præscriptis verbis parit, *l. si fratres, C. commun.* vtriusque iudicii, *l. si familiæ, l. licet, Cod famil. herciscundæ, l. si filia, §. si pater, l. his consequenter, §. sed & cum monumentum, ff. eodem.* Secus est in pacto: id neque obligationem, neque actionem producit, quemadmodum suprà expositum est. Et hæc de diuisione ipsa intelligi volumus, non etiam de placito diuisionis. Diuisionis enim placitum ad actionem nulli prodest, *l. diuisionis placitum hoc titulo nostro, l. si diuisionem, Cod. familiæ herciscund.* exceptionem tamen tanquam nudum pactum parit, *d. l. diuisionis placitum, & l. tres fratres, hoc titul. l. cum proponas 2. C. eodem, de pactis.* Sic ex placito permutationis nemini actio competit, *l. ex placito, Cod. de rerum permutat.* & permutatio non ex placito, sed ex re tradita initium obligationi præbet, quemadmodum Paulus loquitur *in l. 1. §. permutatio autem, inf. de rerum permutat.* Quemadmo- 13

admodum autem pacti definitio ad diui-
14 sionem non pertinet: ita definitio pacti donationi non congruit, quod tamen sequenti modo declarandum est. Nam donatio aut fit simpliciter, aut sub lege certa. Quæ fit simpliciter, vel traditione perficitur, vel pacto. Quæ traditione perficitur, non est contractus, non pactum, non conuentio. Sed est quædam liberalitas, quæ nullo cogente iure conceditur, *l. 1. & l. donari, de donatio. l. donari, de regulis iuris.* Quæ pacto, pactum est, non contractus, vt dicetur in 2. pactorum diuisione infr. Quæ fit sub lege aliqua, vt dono tibi prædia, vt me alas, est contractus innominatus, *l. contractus, C. de fide instrument.* Denique pacti definitio non idcircò vitiosa est, quòd pa-
15 ctis iurisgentium tantùm congruere videtur, non legitimis, quæ actionem producunt, *l. 6. hoc titul.* Etenim pacti definitio non minus legitimis quàm iuris gentium pactis conuenit. Quia omnia pacta, siue sint legitima, siue iuris gentium, nihil aliud sunt, quàm consensus duorum aut plurium in idem, ex quo consensu, naturalis duntaxat obligatio oritur. Quòd verò legitima pacta actionem producant, hoc non

non faciunt vi sua, & quatenus pacta sunt, sed idcircò quòd lege adiuuantur, *d.l.6.de pactis,d l.maior C.de pignor.* Et tantùm de definitione pacti.



CAPVT SECVNDVM DE PACTORVM DIVIsionibus.

Post pacti definitionem, eiusq; explicationem, proximum est, vt ad pactorum diuisiones accedamus.

PRIMA PACTORVM diuisio.

1. *Pactum aliud est expressum, aliud tacitum.*
2. *Pactum expressum vel inter præsentes fit re, vel inter absentes per epistolam, vel per nuntium.*
3. *Mudæus pactum expressum malè existimat idem esse, quod pactum conuentum.*
4. *Pactum tacitum nec re fit, nec per epi-*

 stolam,

ſtolam,nec per nuntium.

5. Reddita debitori cautione, tacitè videtur conueniſſe inter me & debitorem, ne peterem.

6. At reddito pignore ſecus eſt.

7. Differentiæ ratio inter chirographum & pignus.

8. Vrbanum prædium à ruſtico nō loco diſtinguitur,ſed materia & qualitate.

9. Res in prædium urbanum illata, pro mercede habitationis, pignori ſunt locatori.

10. At illata in prædium ruſticum pignori obligata non ſunt.

11. Differentiæ ratio ex moribus populi Romani petenda eſt.

12. Inducta in prædium ruſticū pignori ſunt domino prædij,ſi ita conuenerit nominatim.

13. Dos eſt,quod nuptiarum cauſa datur.

14. Et ideo dotem ſtipulatus, ante nuptias eam petere non poteſt , quaſi hoc expreſſum fuiſſet.

15. Vſura ab vſu nomen habet,& eſt ſortis incrementum.

16. In contractibus ſtrictis debetur vſura ex ſtipula-

stipulatione regulariter non ex pacto.

17. Centum mutuo datis ea pactione, ut donec usuræ soluerentur, sors non peteretur, sors peti non potest, quamdiu usuræ soluuntur, licet quis purè sortem sibi dari stipulatus fuerit.

18. Usura olim menstrua, & inde centesima dicta, quod sortis centesima pars erat menstrua usura.

19. Creditor qui in singulos menses usuras stipulatus est, & in futuros menses usuras accepit, tacitè videtur pactus, ne sortem petat.

20. Centesima usq; ad Iustinianí tempora legitima fuit usura.

21. Hodie viri illustres accipiunt trientes, argentarij & negotiatores besses, reliqui omnes semisses.

22. Qui semisses usuras promisit, & per aliquot annos minores præstitit, non potest compelli ut maiores præstet.

23. Et hoc in contractibus usurariis procedit: in annuis præstationibus non item, in ijs præscriptio locum non habet.

24. Acceptilatio alia est simplex, alia fit innouato modo nouandi per Aquilianam stipulationem.



25. *Simplex acceptilatio verborum obligationem tollit.*
26. *Obligationes alias tollit acceptilatio, quæ fit inuento modo nouandi per Aquilianam stipulationem.*
27. *Acceptilatio omnis fit verbis.*
28. *Si quis tamen interroganti annuet, acceptilatio inutilis vtile habet pactum.*
29. *Differentia est inter stipulationem inutilem & acceptilationem inutilem.*
30. *Qui a seruo pecuniam stipulatur nouandi animo, quam Titius debet, & postea à Titio pecuniam petit, exceptione pacti submoueri potest, si seruus ex causa peculiari tantundem pecuniæ Titio debuit, aliàs secùs est.*
31. *Seruus naturaliter obligatur extraneo, & de peculio actio in dominum datur, quando seruus in rem domini, aut ob rem peculiarem interuenit.*
32. *Domino seruus ex contractu aut delicto non obligatur, nisi quatuor casibus.*
33. *Si emptor [illegible] excipiat, & creditores postea venditorem conueniant, exceptione taciti pacti a venditore repelli possunt.*

Acqui-

AC quidem pactum primum in expressum & tacitum diuiditur, *l. 2. h. tit nostro.* Pactum expressum dicitur, quod vel re fit, vel per epistolam, vel 1
per nuntium. Per rem ICtus non rei alicuius dationem vel traditionem, pacta enim causam non habent, *l. iuris gentium, h. tit nostro*, nec etiam tacitum pactum, quod aduersatiua proximè sequens oratio, pacta quæ re fiunt à tacitis pactis separans, satis ostendit, sed sermonem & tractatum, qui inter paciscentes habetur, intelligit. Et pacta fiunt re, hoc est, sermone & tractatu inter ipsos paciscentes habito. Et ita fiunt pacta inter præsentes. Inter absentes verò fiunt pacta per epistolam, & per nuntium. Et quamuis epistola tacitus nuntius dicitur ab Epicteto philosopho in altercatione, quam cum Hadriano Imperatore habuit, tamen pacta, quæ per epistolam fiunt, expressa pacta sunt, & consensus, quo pacta, vt superiori capite dictum est, sustinentur, expresse per epistolam declaratur, non minus quàm per nuntium, qui paciscentium consensum de vno ad alterum defert. Nuntius quippe nudus duntaxat minister est pactionis, 2

quæ fit inter absentes,& absentibus non pacifcitur. Alteri enim pacifci nemo potest, ficut nec ftipulari. *l.ftipulatio ifta habere licere,§.alteri.inf.de verbor. obligation. l.*
3 *quo tutela,§ fin.infrà de reg. iuris.* Mudæus *in tractatu de pignor. fub tit. quomodo hypotheca contrahatur*, pacta expressa existimat à ICtis dici pacta conuenta, quod probandum non eft. Nec enim pacta appellantur conuenta,vt tacita pacta excludantur, fed vt oftendatur ,pacta fola conuentione conftare,vt infr. in 4. pactorum diuifione dicemus. Et fi pacta conuenta funt expreffa pacta, fequetur, Prætorem, qui pollicetur fe pacta conuenta feruaturum, folùm pacta expressa feruare, non tacita,quod abfurdum eft.Et ex his, quid pactum tacitum fit,facilè intelligitur. Pa-
4 ctum tacitum eft, cum pacifcentes confenfum fuum coràm non exponunt, nec etiam per epiftolam, nec per nuntium, quemadmodum exempla tacitorum pactorum oftendunt. Primum exemplum eft,
5 de redditione chirographi. Si,inquit Paulus, debitori meo reddiderim cautionem, videtur inter nos conuenisse, ne peterem, profuturamq; ei conuentionis exceptionē placuit.*l.2.h.tit. noftro.* Per cautionem Iu-

riscon-

risconsultus chirographum intelligit, quemadmodum & in *l. lecta. inf. de reb. credit.* & alibi sæpe, quamuis aliàs cautio nudam promissionem significat. *l. sancimus. C. de ve. verb. signific.* Et reddito chirographo debitum, quod chirographo continetur, debitori remissum videtur. Ideò si creditor postea pecuniam nihilominus petat, prodest debitori conuentionis exceptio, hoc est, debitor potest creditorem agentem repellere, exceptione taciti pacti, quòd scilicet creditor, reddito chirographo, tacitè pactus sit, se pecuniã deinceps non petiturum. Non idem dicimus reddito pignore 6.
Nam vt Modestini verbis vtar, postquam pignus debitori redditur, si pecunia soluta non fuerit, debitum peti posse dubium non est, nisi specialiter contrarium actum esse probetur. *l. 3. h. tit. nostro.* Sic chirographo debitori legato, liberatio debitori legata censetur. At pignore legato, debitor debitum non lucratur. Hoc enim tantum ei legatum videtur, vt pignus recipiat, prius que pecuniam soluat, nisi alia fuerit testantis voluntas. *l. 1. & 3. in princ. infr. de libera. legat. l. mortis causa capimus. §. Titia, inf. de mortis causa dona.* Differentiæ verò ratio 7.

inter chirographum & pignus hæc est. Chirographo continetur principalis obligatio: Huius obligationis παρενθήκη, *vt Iustin. in Nouell. constitutione quarta ait, hoc est, accessio quædam, vt Iurisconsultus loquitur in l. si seruum, §. nunc videamus, de verbor. obligatio. l. Vranius Antonius, §. 1. de fideiusso. l. in omnibus, de solutio. l. hi qui accessionis, de fideiussor. § fideiussores ita obligari non possunt, Institut. de fideiussorib.* est pignus sicuti fideiussor. Et quemadmodum fideiussore liberato non continuò principalis debitor liberatur, *l. fideiussoris autem conuentio, hoc titulo nostro.* Ita pignore liberato & reddito non propterea extinguitur principalis obligatio, cuius, vt dictum est, accessio quædam est pignus. At chirographo reddito, principalis obligatio soluitur, idque tacitè actum videtur, etsi de eo nullus tractatus fuerit habitus, propterea quòd chirographum principalem obligationem continet. *Iacobus Cuiacius magnum iuris ciuilis luminare, ad l. 2 hoc titulo nostro.* Secundum exemplum taciti pacti sumitur de rebus inuectis & illatis in prædium vrbanum.
8 Vrbanum prædium à rustico non loco distinguitur, *vt Neratius Iurisconsultus voluit,*

l. 2, de

l. 2. de seruitut. rusticor. præd. l. 4. in quibus causis pign. vel hypoth. tacite contrah. sed materia & qualitate. Nam vrbana prædia omnia ædificia appellamus, non solùm ea quæ sunt in oppidis, sed, etsi fortè stabula sunt, in villis & vicis, *l. vrbana prædia, de verborum significatio. l. 1. commun. præd.* Sic etiam vrbana familia à rustica, non loco, sed genere operis separatur, *l. vrbana familia, de verb. significatio.* Et si in prædium vrbanum inquilinus res suas intulerit, inuecta & illata pro mercede habitationis locatori sunt pignori, etiamsi nihil de eo nominatim conuenerit, *l. 4. in princ. h. tit. nostro.* Aliud in colono, hoc est, conductore prædii rustici seruatur. Etenim inuecta & illata à colono in prædium rusticum, tacite pignori obligata non sunt, vt Neratius docet *in d. l. 4. in quibus causis pign. tacitè contrahit.* his verbis: Eo iure vtimur, vt quæ in prædia vrbana inducta illata sunt, pignori esse credantur, quasi id tacitè conuenerit. In rusticis prædiis contrà obseruatur. In iis fructus tantum, qui ibi nascuntur, tacitè intelliguntur pignori esse, *l. in prædiis. In quibus causis pign. tacitè contra. l. 3. Cod. eodem. Mudæus de pigno. titulo de pignorum fru-*

Eu

11 *& numer. 6.* Differentiæ ratio ex moribus populi Romani petenda est. Solebant apud Romanos in prædiis rusticis nata pro mercede obligari, *l. si seruus communis, §. locaui, de furtis.* In vrbanis autem inducta & illata. Et quod primùm in moribus fuit positum, posteà in ius transiuit, & pro dicto fuit habitum, sicubi dictum non esset. Sic pupillaris substitutio primùm moribus fuit recepta, *l. 2. de vulg. & pupil. substitut.* postea iure & legibus approbata est. Donatio item inter coniuges primùm moribus fuit prohibita, postea legibus, *l. 1. & toto titulo de donation. inter vir. & vxor.*

12 *Inf.* Sanè si nominatim inter colonum & locatorem conuenerit, vt inducta in prædium rusticum pignori essent domino prædij, omnia inducta pignori erunt, *§. interdictum quoque, Instit. de interdict. §. item Seruiana, Instit. de actionib. res coloni, pignoris iure, pro mercede illata fundi, domini fundi tenentur non tacite, sed ex pacto, quemadmodum Graecus interpres Theophilus ibi recte annotatum est.* Et hæc est sententia rescripti Alexandrini *in l. 5. Co. de locat. & conduct.* Ait Imperator: Certi iuris est, ea quæ voluntate dominorum coloni in fundum conductum induxerint, pigno-

pignori iure dominis prædiorum teneri. Quando autem domus locatur, non est necessaria, in rebus inductis vel illatis, scientia domini. Per voluntatem, itemque scientiam, Imperator conuentionem intelligit: Et voluntate ac scientia dominorum in fundum illata, id est, ea conuentione illata, vt pignori essent, pignoris iure teneantur, eaque conuentio in rusticis prædiis necessaria est, aliàs inuecta & illata pignori non sunt, vt suprà dictum est. Domo autem locata, non est necessaria scientia & voluntas domini, id est, hæc conuentio non est necessaria, vt inuecta & illata sint pignori, quia & citra huiusmodi conuentionem illata ab inquilino pignori obligantur, *Menochius in 3. remed. adipisc. poss. ff. vers. quæro quarto.* Tertium exemplum taciti pacti pertinet ad stipulationem dotis. Dotem Græci φέρνην vocant, inde παράφερνα bona, quæ præter dotem mulier ad virum defert, *l. si ego Seia § cæterùm, infr. de iure dot.* Et ἀντίφερνα donationes propter nuptias, *l. vltim. § 1. C. de don. ante nuptias*, quas feudorum autores morganaticas, *c. vnic. de filiis natis ex matrim. ad morganaticam contract.* quasi morgengabicas, vt

Simon

Simon Schardius ibi interpretatur: Canones dotalitium *c. plerumq., de donat. inter vir. & vxor. c. ex parte, de foro competen.* interpretes statim donarium appellant. Est au-
13 tem dos, quod nuptiarum causa datur, *Varro libro 4. de lingua Latina*. Recte nuptiarum inquit, quia dos sine matrimonio esse non potest, *d. l. vltim. C. de donatio. ante nupti.* & vbicunque matrimonii nomen
14 non est, nec dos est, *l. 3. de iure dot. infra.* Si quis igitur dotem stipulatus fuerit, ante nuptias eam petere non potest, quasi hoc expressum fuisset, & nuptiis non secutis, ipso iure euanescit stipulatio, *l. 4. § 1. hoc titulo nostro*. Hic enim magis rem, quàm verba intuemur, *vt Paulus loquitur in l. pramittendo, infr. de iure dot.* Et, *vt Vlpiani verbis vtar*, stipulatio, quæ propter causam dotis fit, habet in se conditionem hanc, si nuptiæ fuerint secutæ: & ita demum ex ea agi potest, quamuis non sit expressa conditio, si nuptiæ sequantur, & ideò si nuntius remittatur, defecisse conditio stipulationis videtur, & licet postea eidem nupserit, non conualescit stipulatio, *l. stipulationem, cum l. sequent. de iure dot.* Hinc quoque responsum est, tali facta stipulatione, decem in

in anno proximo dotis nomine dare spon-
des, annum non ex die stipulationis factæ,
sed ex eo die, quo dos esse potuisset, id est,
nuptiarum, esse numerandum, ne, si ali-
ter obseruaremus, si intra annum nuptiæ
factæ non sint, videri posset dos ex ea ob-
ligatione deberi, *l. tali facta stipulatione, in-
fra de iure dot.* Quartum exemplum taci-
ti pacti de vsuris agit. Vsura ab vsu no- 15
men habet, *vt Varro libro 4. de lingua Lati-
na autor est*, inde *in l. deducta, §. ante diem,
infr. ad Senatusconsultum Trebell.* vsura pro-
pter vsum medii temporis percipi dici-
tur. Aliàs impendium vocatur. *Varro d. li-
bro 4. Cicero in Bruto: impendiis augetur sors,
hoc est, vsuris.* Est autem vsura nihil aliud,
quàm sortis incrementum, *Isidor. lib. 5 ety-
molog.* aut reditus pecuniæ, *l. Titius Sempro-
nio, de præscriptis verb.* aut accesio ad sor-
tem, *vt alibi latius explicauimus*: ac debetur 16
in contractibus strictis ex stipulatione, *l. 3.
C. de vsur.* non ex pacto, paucis duntaxat
casibus exceptis, de quibus paulò post in
secunda pactorum diuisione dicemus. Fin-
ge nunc: Centum mutuò datis conuenit,
vt donec vsura solueretur, sors non pete-
retur. Huic conuentioni subdita est stipu-
latio

latio pura, hoc est, creditor stipulatus est, centum illa sibi dari, & debitor spopondit: Quaritur, si creditor post vnum atq; alterum mensem centum à debitore petat, an inuitus debitor ea soluere cogatur, si vsuras, de quibus conuenerat, præstare
17 velit. ICtus ex facto consultus, cogendum non esse, respondit. Licet enim debitor stipulanti creditori pure promiserit, se centum mutuo accepta daturum: tamen stipulationi inest conditio & tacita hæc pactio, si vsuras, vt ante stipulationem conuenerat, non soluerit, atque si hoc expressum fuisset. *l. 4. §. fin. h. tit. nostro* Solutis ergo vsuris creditor sortis petitionem non habet: vsuris non solutis, sortem petere potest. Quintum exemplum taciti pacti
18 ad vsuras similiter spectat. Vsura olim erat menstrua. Veteres enim in singulos menses vsuras stipulabantur, *quod omnium optime ostendit. l. lecta. infra de reb. cred. l. Publia. §. Lucius. depos. l. cùm stipulati sumus, de verb. oblig.* & inde centesima vsura nomen accepit. Centesima namque non ex eo dicitur, quod centesimo mense sortem æquat, *quemadmodum Iohannes Mercerus & alij vrbaniter aiunt, sed quòd sortis centesima pars*

esset

eſſet menſtrua vſura. *l.d.lecta,infra de rebus cred.* Ac plerunq; vſuræ in diem Calendarum conſtituebantur, inde fœneratoris libro Calendarii nomen impoſitum eſt. *l.eius qui in prouincia,de rebus cred.l.Lucius Titius teſtamento,in princ.de lega. 2. l. nepoti,de inſtructo vel inſtrum. lega l.dominus Sticho ſeruo ſuo,in princ.de peculio legato* Et ſi creditor, 19
qui in ſingulos menſes vſuras ſtipulatus eſt, in futurum, hoc eſt, in aliquot adhuc futuros menſes,à debitore ſuo vſuras acceperit,tacitè pactus videtur, ne intra id tempus ſortem petat. *l.qui in futurum,h.tit. n.* Aliud & ſextum exemplum taciti pacti, quod ad vſuras itidem ſpectat,proponitur in l.qui ſemiſſes,inf de vſuris.Idq; vt intel- 20
ligatur,ſciendum eſt,quòd centeſima vſq; ad Iuſtinianum Imperatorem legitima fuit vſura *l.1. & 2.C.Theodo.de vſur.l.8.C.ſi cert. petatur.l.4.de nautico fœno.* eamq; ICtus ſtatutum vſurarum modum appellat *in l.placuit,de vſur.* Iuſtinianus poſtea centeſimam, quòd nimis grauis eſſet, vnde & Seneca *lib.7.de beneficijs cap.10.* centeſimam ſanguinolentam appellat,ſuſtulit,& pro qualitate perſonarum alium vſuris modum præſcripſit *in l. eos,C. de vſur.* Ex illa 21

constitutione viri illustres accipiunt trientes, argentarii & negotiatores besses, reliqui omnes semisses. Et has vsuras semisses Plinius ciuiles &modicas appellat, *libr.14.c.4. Tiraquell. de vtroque retract § 1. gloss.6 num.18.* easque debitores etiam ante Iustinianum ex conuentione quandoque
22 præstabant, *d.l.qui semisses, de vsur.* Et si debitor, qui semisses vsuras promisit, per aliquot annos minores præstitit, non potest posteà creditor vel heres eius, maiores vsuras, etsi promissæ sint, petere, & si petat, submouebitur exceptione taciti pacti, *d. l qui semisses, infr. de vsur.* Et ita quoque ab Imperatoribus est rescriptum *in l.5.Cod.de vsur.* Aduersus creditorem, inquiunt Imperatores, vsuras maiores ex stipulatu petentem, si probetur, per certos annos minores postea consecutus, vtilis est pacti ex-
23 ceptio. Et hæc, vt diximus, in contractibus vsurariis procedunt, in aliis annuis præstationibus nó item. Is enim, qui quotannis sex percipere debet, si per aliquot annos quatuor vel quinque tantum accepit, sex posteà petere nihilominus potest: Imò si per triginta & plures annos, quatuor vel quinque acceperit, posteà sex petere

tere non prohibetur, præſcriptione non obſtante. In annuis namque præſtationibus præſcriptio locum non habet, *l. cùm notißimi,C.de praſcriptio.triginta anno.* Et hæc fuit ſententia Vltramontanorum. *Cravetta de antiquita.temp. 4. parte*, quam Camera Imperialis probauit, *Mynſinge.centur.3. obſervatio.13. Andreas Geill. libr.2. obſervatio. practic.obſervatio 73.* & aſſeſſores Conſiſtorij Palatinatus, *VVurmſerus in pract. obſervatio.tit.de praſcriptio. c.5.* reiecta ſententia Citramontanorum, *quam defendit Schurff. conſil.10. in 1. centu. & ſequuntur Lipſenſes & VVitebergenſes,vt ex cõſtitutione Auguſti parte 2.conſtitutio.2. & 3. videre licet*, qua de re nos copioſius egimus in explicatione titu. de vſuris in C. Septimum exemplum taciti pacti proponitur in l.ſi vnus,§ pen.h.tit.
n.idq; ad acceptilationem pertinet. Acce- 24
ptilatio alia ſimplex eſt, alia quæ fit inuento modo nouandi per Aquilianam ſtipulationem, §.1. *Inſtitut.quibus mod.toll.obligatio.*
Simplex acceptilatio verborum obligati- 25
onem tollit, id eſt, tollit eam obligationẽ, quæ ex ſtipulatione, dictione dotis, & iureiurando liberti deſcendit, *d.§.1. Inſtitut.quibus mod.toll.obligatio. & l. per iuſiurandum,de*

acceptilatio His enim tribus modis verborum obligatio constituitur, *vt Caius. in 2. Instit. docet.* obligationem ex contractu emptionis venditionis, locationis conductionis &c. descendentem, tollere non potest, quia acceptilatio fit verbis. *l. an inutilis, §. acceptum, inf. de acceptila.* & istæ obligationes non verbis, sed consensu contrahuntur: & vnumquodq; eodem genere vinculorum dissolui debet, quo colligatum est. *l. nihil. tam naturale, de reg. iur.* Hæ igitur obligationes tolluntur acceptilatione, quæ fiunt inuento modo nouandi per Aquilianam stipulationem. Etenim quod
26 ex consensu debetur, nouatur, & per stipulationem in verborum obligationem transfunditur, quo facto, acceptilatione tollitur. Et acceptilationem, quæ fit inuento modo nouandi per Aquilianam stipulationem, ICtus definit *in l. 1. de acceptila. inf.* his verbis: Acceptilatio est liberatio, per mutuam interrogationem, qua contingit vtriusq; ab eodem nexu absolu-
27 tio. Acceptilatio igitur tam simplex, quàm illa, quæ fit inuento modo nouandi per Aquilianam stipulationem, fit verbis. Simplex hoc modo: Centum quæ tibi promisi

isi acceptofers? fero. Per Aquilianam ipulationem ita,si creditor primum deitorem suum interroget,an centum,quæ x emptione & venditione debet,dare vet,& debitor respondeat, dabo: ac posteà ursus creditorem suum interroget, num entum,quæ dare ipsi promisit,accepto feat,& creditor respondeat,fero. 28 Quòd si creditor debitori interroganti non respondeat,sed capite fortè annuat,acceptilatio erit inutilis, propterea vt dictum est, quòd acceptilatio sine verbis non fit. Hæc tamen inutilis acceptilatio vtile habet pactum,& creditor,qui ita annuit,tacitè pactus videtur,ne peteret.Ita Paulus *in d. l. si vnus, §. pen. h. tit. n.* Si acceptilatio inquit, inutilis fuit,tacita pactione id actum videtur,ne peteretur. Et cum Paulo consentit Vlpian. *in d. l. an inutilis. in princ. de acceptilat.* An inutilis,inquit, acceptilatio vtile habeat pactum quæritur:& nisi in hoc quoq; contrasensum est,habet pactum. Ita in Pand. Florenti.legitur:alii codices aliter habent. *Anthonius Augusti. lib. 1. emendat. c. 2* Ideoq; si posteà creditor nihilominus pecuniam petat, submouebitur exceptione pacti. Aliud in stipulatione di-

cendum videtur, quod tamen Duareno *in l.1.de verborum obligatio.* post Accursium *in l.si vnus, §.pen. de pact.* non placuit. Nam inutilis stipulatio, vt si quis stipulanti non respondeat, sed capite annuat, vtile pactum non habet, cùm ex huiusmodi inutili stipulatione naturalis obligatio non nascatur, *l.1.§.si quis ita interroget, de verborum obligat.* quam tamen omninò nasci necesse est, si pactum existere debet. Pactum enim, *quamuis aliter Connano libr.5. commentar.c.1. & Eguinario Baroni in l.1.de verbor. obligatio. videatur*, naturalem obligationem parit, *l.5.§.1. ibi ex pacto naturaliter debebantur, infr. de solution.* & propter naturalem obligationem Prætor, datis exceptionibus, pacta seruat, *l.1.in princ.hoc titul.nostro.*
29 Differentiæ verò ratio inter inutilem stipulationem & acceptilationem inutilem hæc est: quòd stipulatio obligationem parit, acceptilatio liberationem: & faciliores semper sumus ad liberandum, quàm ad obligandum, si habemus occasionem, *l.Arrianus, de obligatio.& action.infr. Iacobus Cuiac.in l.1. de verborum obligation.* Octauum exemplum taciti pacti extat in l. in
30 persona, §.qui pecuniam, h tit.n.idq; tale est:

t: Stipulatus sum à seruo nouandi animo pecuniam, quam mihi Titius debet: hanc ipsam pecuniam posteà à Titio perii: Titius me vult submouere exceptione pacti conuenti, quasi stipulando à seruo pecuniam tacitè pactus videar, ne à se peterem: quæritur vtrum stipulando à seruo, videar pactus à Titio non petere. Iulianus ad hunc modum distinguit: aut seruus ex causa peculiari tantundem pecuniæ Titio debuit, & tunc Titius me petentem, exceptione pacti conuenti submouere potest: aut seruus ex causa peculiari Titio nihil debuit, & nihilominus quasi fideiussor interuenit: hoc est, mihi stipulanti promisit, quod Titius debuit, fideiussorem enim ICtus pro expromissore accipit, vt Iacobus Cuiac. ibi notauit, & hoc casu Titius me petentem exceptione pacti submouere non potest. Hoc igitur posteriori casu nouatio non fit, nec seruus naturaliter obligatur, quod videtur aduersari *l. naturaliter. de condictio. indeb. l. eo tempore, §. etiam. de peculio. l. serui, de obligat. & actio.* quibus in locis indistinctè traditur, seruum ex contractibus naturaliter obligari. Sed animaduertendum est dissensisse

31 hac in re Sabinianos à Proculianis. Sabinus voluit, ita demum seruum naturaliter obligari,& de peculio actionem in dominum dari, si seruus in rem domini, aut ob rem peculiarem interuenerit. *l. 3. §. si filius familias, & §. sed si filius, l. quoties, §. 1. de peculio.* Et hanc sententiam Iulianus & Iauolenus, qui Sabiniani fuerunt, secuti sunt *in l. seruus nescio domino, cum l. sequen. de fideiusso. d. l. in persona, §. qui pecuniã, h. tit.* Et ex Proculianis Celsus *in d. l. 3. §. si filius familias, de pecul.* eandemq; Instinianus probauit *in § praeterea, quib. mod. toll. oblig. in Institut.* vbi affirmat, si quis à seruo fuerit stipulatus, quod sibi Titius debet, nõ fieri nouationem, sed Titium perinde obligatum manere, ac si stipulatio nulla intercessisset. Et eo quo diximus modo, seruus extraneo obligatur. Domino

32 seruus ex contractu vel etiam delicto non obligatur, nisi quatuor duntaxat casibus, *qui proponũtur in l. & eleganter, de dolo malo. l. verũ, de minori. l. 3. C. an seruus ex facto suo. l. eum actum. l. Proculus, l. atqui natura, de negotijs gestis. & toto titulo. Si is qui testamento liber esse iussus fuerit &c.* quemadmodum commodiori loco latius explicabitur. Deniq;

iq; aliud exemplum taciti pacti nobis appeditat. *l. 2. C. eodem.* Emptor heredita- 33 is inuitus actiones non excipit: ipse quilem habet actiones vtiles in debitores hereditarios, ex constitutione D. Pii. *l. si cum emptore, h. t. n. l. 5. C. eod.* vel etiam directas, ex cessione, quam flagitare potest actione ex empto. Verùm in emptorem hereditatis actiones etiam vtiles non competunt, id enim nulla lege proditum est: volens tamen emptor hereditatis actiones excipere potest, & si creditores emptorem conueniant & emptor actionem volés excipiat, ac posteà creditores venditorem conueniant, exceptione taciti pacti repelli à venditore possunt. Tacitè namque pacti videntur, à venditore non petere, vbi cum emptore volête agere cœperunt. *d. l. 2. C. eod.* Exempla pactorum expressorum plurima infr. audiemus. Et tantùm de prima pactorum diuisione.

SECVNDA PACTORVM DIVISIO.

1. *Pacta alia sunt legitima, alia iuris gentium.*

2. Omne pactum legitimum, iuris gentium pactum est, sed non contra.
3. Per legem non tantùm lex duodecim tabularum, sed & aliæ species iuris ciuilis scripti intelliguntur.
4. Lege duodecim tabularum confirmatur pactio, quæ fit de membro rupto.
5. Talio pœnam parem siue reciprocã significat: & pœna talionis est antiquissima.
6. Talionis pœna non amplius est in vsu, sed prætoria pœna vtimur.
7. Lege duodecim tabularum confirmatur pactum, quod certa quadam ratione de lite fit.
8. Quid sit causam coniici & per indicem exponi.
9. Lege duodecim tabularum confirmatur pactio de furto facta.
10. Furtum est possessionis interuersio.
11. Fur nocturnus occidi potest, non diurnus.
12. Lex Cornelia, qua tenetur qui furem nocturnum occidit, in vrbe locum habet, non in agro.
13. Pro fure damnum decidere, est de furto pacisci.
14. Fures suspenduntur ex recentiorum Imperatorum placitis.

15. Suspen-

15. Suspendi est genus mortis informe ac infame.
16. Lege duodecim tabularum confirmatur pactio, quæ fit super iniuriis.
17. Pœna iniuriæ secundum legem duodecim tabularum propter membrũ ruptum & os fractum.
18. Iniuriam scripto factam lex duodecim tabula. capite puniebat.
19. Sed pœnam capitalem Augustus sustulit, introducta pœna fustium.
20. Ex Senatusconsulto authores famosorum libellorum sunt intestabiles.
21. Valentinianus & Valens pœnam L. 12. tabul. rursus in usum reuocârunt.
22. Qui paciscitur super iniuriis, ex edicto Prætoris infamis fit, si cum pretio pactus sit, aliàs secus est.
23. Imperatorum constitutionibus cõfirmatur pactio quæ fit de dote.
24. Dotem dicere tres tantùm personæ poterant, dare & promittere omnes.
25. Dotis dicendæ solemnitas temporibus Iustiniani iam in desuetudinem abijt.
26. Dos hodiè nudo pacto potest constitui, imò pollicitatione.
27. Dos à patre promissa semper potest peti: à muliere

muliere & extraneo promissa non aliter, quam si certa quantitas fuerit expressa.

28. *Imperatoris Iustiniani constitutione confirmatur pactum donationis.*

29. *Imperatoris Iustiniani constitutione confirmatur pactio, quæ fit super vsuris argentario dandis.*

30. *Argentariis debentur vsuræ besses, etsi eum modum vsuris non dixerint.*

31. *Imperatoris Alexandri constitutione confirmatur pactio, vt vini, olei, frumenti, vsura præstetur.*

32. *Ratio quare vsuræ vini, olei, frumenti ex pacto debeantur.*

33. *Edicto Prætoris confirmatur pactio, cum constituo me soluturum quod vel ipse debeo, vel alius debet.*

34. *Edicto Prætoris confirmatur pactum pignoris.*

35. *Ex pacto debentur ciuitatibus vsuræ, idq́ue pactum legitimum est.*

36. *Traiectitia pecunia quæ dicatur.*

37. *Creditor pecuniæ traiectitiæ duo habet, quæ alij creditores non habent.*

38. *Pacta legitima actionem pariunt & tollunt, iuris gentiũ exceptionẽ pariunt.*

Secun-

SEcundò ICti tradunt, pacta alia iuris 1
gentium esse, alia legitima, *l. 5. & 6. hoc tit. nost.* Iuris gentium pactū est, quod gentium iure subsistit. Legitimum quod lege aliqua confirmatur, *d. l. 6. hoc titulo nostro.*
Omne igitur pactū legitimum iuris gen- 2
tium pactum est, sed non contrà omne pactum iuris gentium est legitimum pactum, sed ex accidenti legitimum dicitur, cùm scilicet lege aliqua confirmatur. Et sic aliàs quod legitimum est, iuris gentium quoque est, sed non contra, *§. venditæ, Instit. de rer. diuis.* ibi Iustinianus inquit, quod quamuis lege duodecim tabularū cauetur: tamē rectè dicitur, & iure naturali siue gentiū fieri.
Per legem autem hìc, non tantùm le- 3
gem duodecim tabularum intelligimus: *quo sensu legis verbum accipitur in l. iuris gentium, §. nam & de furto, hoc titulo nostro, & in l. is cui lege, infr. qui testam. fac. poss.* sed etiam alias species iuris ciuilis scripti, vt sunt Principum constitutiones & Prætorum edicta, *§. constat autem, Instit. de iure nat. gent. & ciuil.* Lex enim, vt Theophilus inquit, *κοινὸν ὄνομα τῶν ἐγγράφων νόμων*, hoc est, commune nomen scriptarum legum est.
Lege verò duodecim tabularum confir- 4
matur

matur pactio, quæ fit de membro rupto his verbis: Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto. *Gelli lib. vlt. cap. 1. Sex. Fest. Pompe libr. 18.* Sed apud Gell. mendosè ita legitur: Si membrum rupit meum, è pacto talio esto. Et hanc vitiosam lectionem secutus est Pardul. Prateius Augustobuconiates in veteri iurisprudentia. Apud Festum quoq; male legitur ad hunc modum: Si membrum rupit, visum cum eo pacit, talio esto, pro visum, legendum est ni, *Iacobus Cuiac. in d. l. 6. h. tit. Balduinus in legib. duo-*
5 *decim tabular. c. 13.* Talio autem significat parem pœnam siue reciprocam pœnam, vt Imperatores loquuntur *in l. 3. C. Theodo. de exhiben. reis. l. hi quos, C. Theodos. de accusation.* Et hæc pœna talionis antiquissima est, eamque & ius diuinum probauit. *Exod. 21.* Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente. Et Aristoteles *in 5. Ethicor. c. 5.* scribit, fuisse veterem quandam Rhadamanti de talione legem, vt quod quis alteri fecisset, ipse pateretur. Hanc enim illi visam esse iustissimam legem. *ἄικε πάθοι τὰ κ' ἔρεξε, δίκη ἰθεῖα γένοιτο.* Et addit Aristoteles, Pythagoreorum eandem fuisse sententiam, qui definiuerunt

runt ἁπλῶς τὸ δίκαιον, τὸ ἀντιπεπονθός. Hodiè talionis pœna, iis casibus exceptis, 6
in quibus per legem pœna talionis statuitur, *Matthæus de Afflictis in constitut. Neapolita. Rubri. 12. de percussio. illicita cum armis numer. 22. libr. 1.* non amplius in vsu est, sed prætoria pœna frequentatur, & is cui membrum ruptum est, iniuriam, quam passus est, æstimat, & postea iudex reum vel tanti condemnat, quanri iniuriam passus æstimauerit, vel minoris, prout ei visum fuerit, *§. pœna autem iniuriarum, Institut. de iniuriis.* Et hoc ita, nisi per pactionem actio, quæ ob membrum ruptum competebat, fuerit sublata, *l. si tibi decem, §. 1. de pactis.* Confirmârunt deinde duodecim tabulæ pactum, quod certa quadam ratione de lite fiebat, quemadmodum ex Cornificio *in 2. ad Herennium* colligere licet, ibi ita scriptum est: 7
Pacta sunt, quæ legibus obseruanda sunt, hoc modo: Rem vbi pagunt, oratione pagunt, in comitio aut in foro, ante meridiem causam coniicito. Sed ibi Iacobus Cuiacius *in d. l. 6 h. tit. nostro,* existimat ita legendum esse, vbi paguntor, ita ni pagunt, in comitio aut in foro ante meridiem

diem causam coniicito. Iubet lex, vbi pa-
ctio de lite, certa quadam ratione, vt di-
ctum est, non intercessit, causam coniici
8. ante meridiem in comitio aut foro. Cau-
sam coniici, hoc est, quasi per indicem ex-
poni, vt Asconius Pedianus *in 3. Verrina* in-
terpretatur. Per indicem exponi prouer-
biali sermone dicitur, quod summatim &
breuiter exponitur. Sic Iustinianus in fine
Institut. dicit, se publica iudicia quasi per
indicem exposuisse, & ea verba Theophi-
lus ita interpretatur, διὰ συντόμου παραδό-
σεως, hoc est, per compendiariam traditi-
onem rectissimè. Index enim est ex latiori
scriptura quædam breuis subnotatio.
Iacob. Cuiacius lib. 5. obseruat. cap. 25. Aliàs
periculum dicitur. *toto titulo. C. de sentent. ex
periculo recitan.* ibi nõnulli Codices habent
ex libello, sed legendum ex periculo, vt Lu-
douicus Rusardus ibi notauit. Causa ergo
coniicitur, hoc est, per indicem exponitur.
Sic Sabinus regulam causæ coniectionem
dixit esse *in l. 1. inf. de reg. iur.* & ibi in Florē-
tinis libris rectè legitur, causæ coniectio: in
vulgatis libris malè causæ coniunctio. Et
regula est causæ coniectio, hoc est, breuis,
summaria & compendiosa expositio cau-
sæ, & vt

ſæ,& vt Paulus inquit, breuis narratio cauſæ. *d. l. 1. de regulis iuris*. Comitium pars erat fori Romani, in quo Prætor ius dicebat, & iudicia exercebantur. His verbis, ante meridiem, ordo iudiciorum indicatur, qui in ciuilibus tempore decemuirorum receptus fuit. Et hũc ordinem magis explicat Gellius *lib. 17. cap. 2.* vbi reliqua verba legis duodecim tabularum citat. Verba hæc ſunt: Poſt meridiem præſenti litem addicito, ſi ambo præſentes, ſol occaſus ſuprema tempeſtas eſto. Et hæc poſtrema legis verba refert Macrobius *lib. 1. Saturnalium c. 3. Cenſorinus in libro de die natali. cap. 19. Alexander ab Alexandro lib. 6. genialium dierum cap. 10. Balduinus in legibus duodecim tabularum, cap. 47. Pardulphus Prateius Augu- 9
ſtobuconiates in veteri iuriſprudentia cap. 56. & 58.* Tertiò, leges duodecim tabularum approbârunt pactionem de furto factam. *l. iuris gentium, §. ſi paciſcar, ibi, nam & de furto, hoc tit. noſtro.* Ibi ICtus inquit: nam & de furto paciſci lex permittit. Legem cùm nominat Iuriſconſultus, legem duodecim tabularum intelligit, quemadmodum etiam ſup. monui, ſed verba ipſa legis non extant. Furtum autem nihil aliud eſt, 10

quàm possessionis interuersio, *l. 1. §. Scæuola ait, si is qui testament. liber esse iussus est.* At
11 ex duodecim tabulis fur nocturnus quoquo modo occidi potest. Nam ita lex erat scripta: Si nox furtum faxit, & im aliquis occisit, iure cæsus esto. *Macrobius libro 1. cap. 4.* ibi Macrobius quoque docet, quòd Decemuiri pro noctu, nox, & pro eum, im, dixerunt. Diurnus occidi non potest, nisi deprehensus se cum telo defendat, idque similiter duodecim tabul. cautum fuit, *l. 4. ad l. Aquil. infrà l. si pignore, § furem, de furtis, Gellius lib. 11. c. 18. Cicero pro Milone*: Duodecim tabulæ, inquit, nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si telo se defenderet, interfici impunè voluerunt.
12 Sanè lege Cornelia tenetur, & qui furem nocturnum occidit, cum parcere ei sine periculo suo potuisset, *l. furem, infra ad l. Cornel. de Sicariis*, idque ex sententia Constantini Harmenopuli *libr. 6. Epitom. c. 5.* in vrbibus locum habet, non in agris, in quibus fur nocturnus semper occidi potest. Ita enim Harmenopulus inquit: τὸν νυκτερινὸν κλέπτην, τὸν ἔξω τῆς πόλεως, ἔξεστι φονεύειν, καὶ στρατιώτης ἐστὶ. τὸν δὲ ἐν πόλεσιν,

σιν, ὐκ ἔξεστι φονεύσιν, εἰ μὴ ἀκόντιον ἐπιφέρεται, hoc eſt, nocturnum furem extra ciuitatem licet occidere, etiamſi miles eſt: in vrbibus autem non licet, niſi telum geſtauerit. *Iacobus Cuiacius libro decimoquarto obſeruationum, capite decimoquinto.* Quod ſi fur neque nocturnus ſit, neque interdiu deprehenſus ſe cum telo defendat, tunc ex duodecim tabulis, ſi liber eſt, verberatur, addiciturque ei cui furtum factum eſt: ſi eſt ſeruus, verberibus afficitur, & è ſaxo præcipitatur. Et hoc cum furtum manifeſtum eſt. Si nec manifeſtum fuerit furtum, fur in duplum condemnatur. *Gellius d. libr. 11. cap. 18.* Et hanc pœnam dupli furti nec manifeſti ex l. duodecim tabul. deſcendentem prætores retinuerunt: in furtis autem manifeſtis quadrupli pœnam introduxerunt, *§. furti quoque, Inſtitut. de perpetuis & tempor. action. §. pœna autem, Inſtitut. de obligation. quæ ex delicto naſcuntur.* Hæ igitur iure ciuili furtorum pœnæ ſunt, quæ furibus infliguntur, niſi pactione fuerint remiſſæ. Pactione interpoſita, ne furti agatur, ipſo iure furti actio tollitur, *l. ſi tibi decem, §. quædam actiones, hoc titul. l. ſi pro fure, de con-*
 dict.

dict. furtiua. ibi ICtus inquit: decisione furti
13 *actio tollitur.* Decisio pactionem significat, & pro fure damnum decidere, *in d. l. si pro fure,* nihil aliud est, quàm de furto pacisci. *Cuiac. lib. 10. obseruatio. cap. 12.* Hinc ab Imperatoribus est rescriptum, post decisionem furti leges agi prohibent. *l post decisionem. C. de furtis.* Sed hoc de furto iam admisso intelligendum est. Si paciscar tecum, ne furti agam, si feceris, pactum non valet. Hoc enim pactum turpem causam continet, & expedit timeri furti pœnam. *l. si vnus, §. pacta, h. tit. nostro.* De eo dubitari posset, num etiam his temporibus, quibus fures suspenduntur, de furto liceat pacisci. Et quidem, vt id primùm expediam, fures hodiè suspenduntur, non ex Iustini-
14 ani constitutione *Nouell. 134.* sed ex recentiorum Imperatorum placitis, inter quæ nequaquam referenda est constitutio Friderici, de pace tenenda & eius violatoribus in vsibus feudorum. in qua Imperator cõstituit, vt quinque solidos aut valens furatus laqueo suspendatur. Illa enim constitutio ad fures, qui publicam pacem turbãt, referenda est. Hi fures suspendũtur, si quinq; solidos, hoc est, quinque asses furati fuerint,

fuerint. Solidum enim ibi populariter, non pro Vngarico, vt quidam faciunt, accipere oportet, *quod §. proximè præcedens, in quo disponitur, vt iudex à rustico gladium gestante, vel gladium, vel pro eo viginti solidos accipiat,* 15
satis ostendit. Hoc genus mortis informe ac infame appellatur *in c. sceleratior, de pœni. dist. in. 3. Liuius. lib. 2. decade. 5. fœdam mortem vocat. Baldus fœdiorem ac turpiorem vlla alia, in rub. de offi. delega. & in l. omnes, C. de delato.* Sed an licet hodie de furto pacisci? Ita videtur dicendum, propterea quòd & olim licuit de furto pacisci, cùm non esset capitale, nec hoc mutatum reperitur. Imò generaliter constitutum est, de crimine capitali & sanguinis pœnam ingerente licere pacisci *l. transigere, C. de transactio.* Ignoscendum enim ei est, qui sanguinem suum qualiter qualiter redẽptũ voluit. *l. 1. inf. de bonis eorum qui ante sent. mortẽ sibi &c.* Quartò, leges duodecim tabul. de iniuriis paci- 16
sci permiserunt. *d. l. si tibi decem. §. quædam, h. tit.* Iniuria fit vel re, vel verbis, vel scripto. Re fit iniuria, cùmquis verberatur vel pulsatur. Verberare est cum dolore cædere: pulsare sine dolore. *l. 5. §. inter pulsationem, inf. de iniur.* Verbis, quando conuitium a-

 licui

licui fit. Conuitium dicitur, vel à concitatione, vel à conuentu, hoc est, à collatione vocum. Cùm enim in vnum plures voces conferuntur, conuitium appellatur, quasi conuocium. *l. item apud Labeonem, §. conuitium, de iniur.* Scripto, cùm famosi libelli sparguntur. *l. vn. C. de famo. libel.* Et re fa-
17 cta iniuria, ex l. 12. tab. propter membrum ruptum, talio erat, vt suprà dictum est; Propter os fractum pœna nummaria erat constituta. *§. pœna, Instit. de iniur.* Reliquas iniurias omnes, verbales & reales, lex viginti quinq; assibus æstimabat, his verbis: Si iniuriam alteri faxit, viginti quinq; æ-
18 ris pœnæ sunto. *Gellius lib. 20. cap. 1.* Iniuriam verò scripto factam capite puniebat. *Cicero lib. 4. de Repub.* Nostræ, inquit, duodecim tabulæ, cùm perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putauerunt, si quis carmen condidisset, quod infamiam faceret. Idem Cicero *in 4. Tuscul. quæst.* Declarant, inquit, duodecim tabulæ, condi iam tunc solitum esse carmen, quod ne liceret fieri ad iniuriam alterius, leges sanxerunt. Hanc pœnam ca-
19 pitalem Augustus sustulit, authore Horatio *lib. 2. epistol.* ad Augustum, his verbis:

Quin

Quin etiam lex
Pœnaq́; lata, malo quæ nollet carmine quen- (quam
Describi: vertêre modum, formidine fustis,
Ad benè dicendum delectandumq́; Poëtæ.

Et fustuariæ pœnæ Cornutus apud Persium *Satyr.1.* meminit. Postea de fa- 20
mosis libellis Senatusconsultum quoq; factum est, ex quo authores famosorum libellorum intestabiles esse iubentur. Sic enim Vlpianus *in l. 5. §. pen. de iniuriis* scribit: Si quis librum ad infamiam alicuius pertinentem scripserit, composuerit, ediderit, doloué malo fecerit, quò quid eorum fieret, etiamsi alterius nomine ediderit, vel sine nomine, vti ea de re agere liceret, etsi condemnatus sit qui id fecit, intestabilis ex lege esse iubetur. Idem Vlpianus *in l. is cui lege, infrà qui testam. facere poss.* inquit: Si quis ob carmen famosum damnetur, SCto expressum est, vt intestabilis sit: Ergo nec testamentum facere poterit, nec ad testamentum adhiberi. Tan- 21
dem Valentinianus & Valens Imperatores pœnam legis duodecim tabul. rursus in vsum reuocârunt, *l. vnic. Cod. de famos. libellis.* Ex illa constitutione non tantum author

author famosi libelli capitali pœna plectitur, verùm etiam is, qui famosum libellum domi, vel in publico, vel quocunq; loco ignarus reperit, nec statim corrupit, sed vim eius aliis manifestauit. Eoque iure hodiè vtimur. Reliquæ pœnæ iniuriarum, ex duodecim tab. descendentes, omnes sunt sublatæ, & hodiè iniuriarum pœna arbitraria est. *§. pœna, Institut. de iniur.* quemadmodum etiam sup. vbi de membro rupto diximus, expositum est. Sanè si pactio super iniuriis facta fuerit, postea iniuriarum agi non poterit. Super iniuriis, inquam, iam commissis, non committendis adhuc. d. l. si vnus, §. pacta, h. tit. per pactionem enim ipso iure iniuriarum actio iam competens tollitur. *d. l. si tibi decem, §. quadam, h. tit.* propterea quòd pactio hæc lege duodecim
22 tabul. confirmatur. Pactus tamen super iniuriis vel furto, ex edicto Prætoris, de his qui not. infam. infamis erit, si cum pretio quantocunq; pactus est, si precib. impetrauit, ne secum iniuriarum vel furti ageretur, non erit notatus. *l. 1. & 6. de his qui notan. infam.* Hæc igitur quatuor pacta de membro rupto, de lite, de furto & de iniuriis legitima pacta sunt, quia lege duodecim tabul.

bul.

bul. confirmantur. Imperatorum constitu- 23
tionibus confirmatur pactio, quæ fit de dote, *tot. tit. de dotis promißio. & nuda pollicita.* Olim dos tantùm dicendo, dando & promittendo constituebatur. Vlpian. *in fragment. tit. 6.* Dictio dotis fiebat solemnibus verbis, nulla interrogatione præcedente, producebatque verborum obligationem, vt in prima pactorum diuisione
monui. Et dicere dotem tres duntaxat 24
personæ poterant, mulier ipsa, quæ nubebat, debitor mulieris, si iussu eius dixisset, & parens mulieris virilis sexus, per virilem sexum cognatione iunctus, vt est pater & auus paternus. Dare autem & promittere dotem omnes poterant. Vlpian. *in fragment. d. tit. 6.* Hinc Paulus *in l. promittendo, infr. de iure doti.* scribit, promittendo dotē omnes obligantur, cuiuscunq; sexus & conditionis sint Promittendo, inquit, respiciens ad dictionem dotis, quæ ab omnibus, cuiuscunque sexus & conditionis essent, fi-
eri non poterat. Hæc verò dotis dicendæ 25
solemnitas, temporibus Iustiniani Imperatoris iam in desuetudinem abierat: ideoque Tribonianus, Theophilus, Dorotheus & reliqui librorum nostrorum compi-

latores, dictionis dotis nullam prorsus in Pandectis & Codice mentionem faciunt. In C. Theodosiano de dictione dotis quædam adhuc leges extant, vt *l. 2. C. Theodos. de incest. nupt. l. fin. C. Theodos. de dotibus.* Hodiè dos non tantum dicendo, dando & promittendo, verum etiam nudo pacto, imò nuda pollicitatione constitui potest.
26 Et hodiè ad exactionem dotis, quam semel præstari placuit, qualiacunque verba sufficiunt, siue scripta fuerint, siue non, etiamsi stipulatio in pollicitatione rerum dotalium minimè fuerit subsecuta, *l. ad exactionem, Cod. de dotis promiss.* ibi in C. Theodos. ita scriptum est: etiamsi dictio vel stipulatio, &c. Sed Tribonianus verbum, dictio, sustulit. Potest igitur dos nudo pacto promissa peti: quia pactio dotis, legitima
27 pactio est. Et quidem á patre promissa semper peti potest, siue certa dos fuerit promissa, siue incerta, *l. cùm post diuortium, §. gener à socero, de iure dot.* à muliere & extraneo non aliter, quàm si certa aliqua quantitas fuerit expressa, *l. 1. de dotis promiss.* Ratio diuersitatis hæc est: quòd patre dotem promittente, lex dotis quantitatem definit, eamque pro modo facultatum patris

tris & dignitate mariti conſtituit, *d.l. cùm poſt diuortium, §. gener à ſocero*, ſicq; dos quæ hominum prouiſione erat incerta, legis prouiſione certitudinem accipit. At muliere vel extraneo dotẽ promittente, nulla reperitur lex, quæ definiat, quid quantumuè mulier vel extraneus dotis nomine dare debeant. Et idcirco mulier & extraneus viliſsimum quiddam dare, ſeque obligatione liberare poſſent, atque ita deriſoria magis quàm vtilis eſſet obligatio, vt in ſimili ICtus loquitur in *l. ſi domus, §. 1. de legat. 1.* Ita eleganter traditum eſt à Conſtantino Harmeno. *libr. 4. Epitom. titu. 8.* his verbis: ἐὰν ἐπηγγείλατο ἡ γυνὴ προῖκα διδόναι, μὴ εἴποι δὲ ποσότητα ἢ πρᾶγμα ῥητὸν, ἄχρηστος ἐστὶν ἡ τῆς προικὸς ἐπαγγελία, ὡς δυναμένης τῆς γυναικὸς εὐτελέστατόν τι παρασχεῖν. πατὴρ δὲ ἐπαγγειλάμενος προῖκα ὑπὲρ τῆς ἰδίας θυγατρὸς, κἂν μὴ εἴπῃ ποσότητα, ἔρρωται ἡ ἐπαγγελία. ὁ γὰρ πατὴρ οὕτω λέγων οὐχ ὅσην λέγει δίδωσι προῖκα ἀλλ' ὅσην εὐπορεῖ. hoc eſt, vt vertit Ioh. Mercerus, ſi ſpoponderit mulier dotem dare, nõ adiecta quãtitate, aut re certa expreſſa, quæ in dotem detur, inutilis eſt eiuſmodi dotis pro-

promissio, vtpotè cùm possit mulier vel vilissimum quippiam dotis nomine exhibere. Alia causa est patris dotem pro filia pollicentis, qui etsi quantitatem dotis nō præfinierit, rata tamen est ac valida promissio. Hoc enim cum dicit pater, non sese quantamlibet doti, sed quæ facultatibus par sit, daturum indicat. *Duaren. 1. anniuer. disputa. cap. 56. Menoch. lib. 2. de arbitra. iud. quæst. cent. 2. casu 149. num. 36.* Sanè si mulier vel extraneus dotem promittant, quamcunque postea arbitrati fuerint, valebit dotis constitutio, *l. 3. C. de dotis promiss.* quia boni viri arbitrium stipulationi insertum videtur, *d. l. 3. C. de dotis promiss.* idq; certam quantitatem exprimit, pro viribus videlicet patrimonii mulieris & extranei, *l. 1. in*
28 *fin. de legat. 2.* Secundò Imperatoris nostri Iustinia. constitutione confirmatur pactum donationis, *l. si quis argentum, §. vlt. C. de donatio.* Donatio est liberalitas & munificen. quæ nullo cogente iure conceditur, *l. 1. & l. donari, inf. de donation. l. donari de regul. iuris*, eaq; olim traditione perficiebatur, *l. 3. 4. & 9. C. de contrahen. emption.* non nudo consensu. Et ideò qui decem mutuo dederat, & pactus erat, vt viginti redderentur,
decem,

decem, quæ ſuperſunt, quaſi credita non poterat petere. Re enim non contrahitur obligatio,niſi pecunia proficiſcatur, *l.2.§. item mutuum,de reb.cred.*hoc eſt, niſi quatenus datum eſt,*l.ſi tibi decem, in princ. hoc tit.* Non poterat quoq; decem quæ ſuperſunt, petere,quaſi donata,quia ex pacto donationis non dabitur actio. Sic qui centum aureos debens, ducentos conſtituerat, in centum tantum tenebatur, non in ducentos,quaſi centum donati eſſent, *l.hactenus, §.fin.inf.de conſt.pecu.* Hodiè donatio perficitur voluntate donatoris, *§.alia autem,Inſtit.de donatio.*id eſt,nudo pacto,nuda conuentione, nulla interueniente ipſius rei traditione,nec ſtipulatione, *d.l. ſi quis argentum, §.vlti.C. de donatio.* Si quis igitur 28
decem douandi cauſa nudo pacto promittat, ex promiſsione hodie conuenietur.
Tertio conſtitutione Iuſtiniani confirma- 29
tur pactio, quæ fit ſuper vſuris dandis argentario. *Nouell.136.* Argentarii dicuntur argenti diſtractores,*l.vlt. C. de pignor.l.penult.ad finem, de conſtitut. pecun.* & à Iuliano Patritio *in Nouell.de fideiuſſor.*argenti venditores.*l.12.Cod.de cohortalibus. libr.12.*item collectarii,*l.pen.C.ſi certa peta.*Sic Symmachus

chus *in epistola 28. ad Theodosium*, quos Collectarios vocat in princip. postea appellat nummularios. A Suetonio *in Augusto c. 4.* mensarii appellantur, ab Vlpiano mensularii, *l. si ventri, de reb. auto. iud. poss.* denique à Iustiniano appellantur ἀργυροπρᾶται in *d. Nouell. 136.* Et argentariis debentur vsuræ ex pacto διὰ τὸ χρήσιμον τῶν συναλλαγμάτων, vt Iustinianus loquitur in *Nouel. 4.* hoc est, propter vtilitatem istorum contractuum: aut vt loquitur in *d. Nouell. 136.* διὰ τὸ κοινὸν τῆς αὐτῶν λυσιτελείας, ἣν παρέχονται τοῖς συναλλάγμασι, πολλοῖς ὁμιλοῦντες κινδύνοις, ἵνα τὰς ἑτέρων θεραπεύσωμεν χρείας, hoc est, propter communem ipsorum vtilitatem, quam in contractibus exhibent, dum multis se periculis immiscent, vt ingruentibus aliorum necessitatibus medeantur. Aliàs vsuræ citra vinculum stipulationis promissæ peti non possunt, *l. 3. Cod.*
30 *de vsur.* Debentur autem argentariis vsuræ besses, vt suprà expositum est. Et quidem istæ vsuræ debentur, etsi argentarii vsuras paciscentes istam quantitatem non expresserint, *d. Nouell. 136.* quod in aliis secus est, *l. quod in stipulatione, de vsur.* Quod in

in ſtipulatione, inquit Iuriſconſultus, ſic adiectum eſt, & vſuras ſi quæ cōpetierint, nullius eſt momenti, ſi modus certus non adiiciatur. Quartò ab Alexandro Impe- 31
ratore cōfirmatur pactio, quæ ob id interponitur, vt vini, olei, frumenti & cæterarũ rerum, quæ menſura conſtant, vſuræ præſtentur, *l. frumenti, C. de vſur.* Frumenti, inquit Imperator, vel hordei mutuo dati acceſsio etiam ex nudo pacto præſtanda eſt. Acceſsionem Imperator vſuram appellat. Ideò autem acceſsio ſiue vſura vini, 32
olei, frumenti ex pacto videtur deberi, quòd vini, olei, frumenti & cæterarum rerum menſura conſtantium, non eſt perpetuò certum pretium, ſed æſtimatio & pretium ſubinde mutatur, locis, temporibusque varietatem adferentibus, *l. pretia, §. vltim. ad L. Falcid. l. ideo, de eo quod certo loco* Plinius *lib. 33. c. vlt.* pretia, inquit, rerũ non ignoramus alia aliis in locis eſſe, & omnibus penè annis mutari, prout nauigationes conſtiterint, vt quiſque mercatus ſit, aut vt aliquis præualens manceps annonam flagellet. Ob hanc ipſam quoq; cauſam, vinum, oleum, frumentum, & reliquæ res menſura conſtantes, grauiores vſuras
reci-

recipiunt,quàm pecunia mutua,*l.oleo.C.de vsur.* Oleo,inquit Imperator, vel quibuscunque fructibus mutuo datis,incerti pretii ratio,additamenta vsurarum eiusdem materiæ suasit admitti. Per additamenta vsurarum Imperator grauiores vsuras intelligit. Et tantùm de pactis,quæ Imperatorum constitutionibus confirmantur.
33 Edictis Prætorum cõfirmatur pactio, cùm constituo me soluturum, quod vel ipse debeo,vel alius debet,*toto titulo de constitut. pecu.infr.ibi in l.1.in princip.* Vlpianus Iurisconsultus docet, Prætorem constituta ex consensu facta custodire,& in hoc naturali æquitati fauere, quoniam graue est fidẽ fallere. Deinde edicto Prætoris confirma-
34 tur quoque pactum pignoris. Pignus à pugno nomen habet, quia res, quæ pignori datur,manu traditur,*l.plebs,de verb.signifi.* & est contractus,*l.1.in fin. hoc tit.nostr.l.contractus,de regul.iur.§.fin.Institut.quib.mod.re contrahit.oblig.* per quem ipsius rei possesio ad creditorem transit, *l.si rem alienam,§. propriè,de pignor.actio.* Et hoc pignus ICti pignus depositum vocant, *l. seruus cuiusdam de condict. indeb. Paulus in 2. sententia. tit.4.& 5.libr.5.sentent.titu.26.* Aliud est pa-
ctum

ctum pignoris, quod nuda conuentione constituitur. *l. 1. de pignor. act.* ita vt possessio ad creditorem non transeat: & hoc pignus hypotheca dicitur. *d. l. si rem alienam, §. propriè*, deq; eo, iure honorario, nascitur pacto actio *l. si tibi decem, §. de pignore, h. tit. n.* Hinc in *l. maior annis, C. de pignori.* dicitur, iurisdictionem tueri pactum. Iurisdictionem edictum Prætoris Imperator vocat. Et pactum pignoris, non vi sua, sed ex Iurisdictione, hoc est, ex edicto Prætoris obligationem & actionem parit, vt supra *c. 1.* quoq; dictum est. Hinc quoq; Iustinianus affirmat, actionem ex conuentione pignoris descendentem, ex ipsius Prætoris Iurisdictione substantiam capere. *§. item Seruiana, Instit. de actio.* eaq; actio hypothecaria dicitur. *§. item Seruiana, Instit. de actio.* & datur quoq; creditori ad vindicandum pignus re constitutum. Hinc Martianus in *l. 5. §. fi. de pignor. & hypothe.* ad actionem hypothecariam respiciens, quemadmodum inscriptio legis indicat, scribit, inter pignus & hypothecam tantùm sonum nominis differre. Superiorib. pactis legitimis adiicienda sunt alia duo exempla pactorum, ex quibus actio datur, sed non satis

 constat,

constat,quarum legum authoritate id fi-
at. Prius est in *l. etiam, de vsur.* ibi Iuriscon-
35 sultus docet, quòd ciuitatibus ex nudo
pacto debentur vsuræ creditarum ab eis
pecuniarum: quod etiam suprà monui, in
prima pactorum diuisione. Posterius pro-
ponitur *in l. in quibusdam, infr. de nautico fœ-
no.* idque ad traiectitiam pecuniam perti-
36 net. Traiectitia pecunia est, quæ trans
mare vehitur, & nauigat periculo credito-
ris. Et si fortè merces ex ea pecunia com-
paratæ fuerint, traiectitiarum pecunia-
rum loco erunt, si modò creditor merci-
um inde comparatarum periculum in se
susceperit, *l. 1. de nautico fœnor.* Ac quidem
creditor suscipit periculum, vel in omne
nauigationis tempus, vel in tempus pro-
fectionis & reditionis, vt in *l. qui Romæ, 122.
§. Callimachus, de verborum obligation.* vel in
certum portum duntaxat, vt *in l 3. Cod. de*
37 *nautico fœn.* Et propter periculum, quod
creditor pecuniæ nauticæ in se recipit, duo
habet, quæ alii creditores non habent.
Primùm enim nauticæ pecuniæ vsuræ illi
debentur ex pacto, *d. l. in quibusdam, de nau-
tico fœn.* Deinde infinitas & immensas v-
suras potest accipere. Hoc est pretium,
hæc

hæc eſt compenſatio ſuſcepti periculi.
Paulus in *2.ſentent.tit.de vſur.* Traiectitia 14
pecunia, inquit, propter periculum creditoris, quàm diu nauigat nauis, infinitas vſuras recipere poteſt. Idem oſtenditur *in l.4.de nautico fœno.* ibi Papinianus docet, vſuram traiectitiæ pecuniæ, quæ ſine periculo creditoris accepta eſt, eſſe legitimam, hoc eſt, vt poſtea exponit, centeſimam, *Cuiacius in 5.obſeruation.cap.38.* Si ergo cum periculo creditoris pecunia accepta fuerit, vſura erit, vt Paulus inquit, infinita. Sed hoc poſterius Iuſtinianus immutauit *in l.eos, Cod.de vſur.* ex ea conſtitutione, nautica vſura eſt duntaxat centeſima. Ex aliis pecuniis non percipitur centeſima, vt ſuprà dictum eſt. Ex his igitur apparet, pauciſsima eſſe pacta legitima. Reliqua pacta omnia ſunt iuris gentium pacta. Et quidem hæc diſtinctio pa- 38
ctorum diligenter notanda eſt, propterea quòd pacta legitima actiones pariunt & tollunt, *l.6.hoc titulo noſtr.* idque Imperatores ſignificare volunt *in l.nuda pollicitatione, C.de contrahen ſtipulat.* vbi reſcripſerunt, non ſemper vrgeri quenquam ad præſtanda ea, quæ nuda pollicitatione ſiue pacto

promiserat. Non semper, inquiunt, vt pacta legitima excipiant. Iuris gentium pacta neq; actionem pariunt, neque tollunt, sed pariunt duntaxat exceptionem, *l. iuris gentium, §. igitur nuda, h. tit. n.* sicuti suprà quoque monui, & inf. latius dicetur.

TERTIA PACTORVM DIVISIO.

1. *Pacta quædam in rem sunt, quædam in personam.*
2. *Pacta in personam ad alium non pertinẽt, in rem ad omnes transeunt.*
3. *Sed interesse oportet pecuniariter.*
4. *Debitoris conuentio fideiussoribus proficit.*
5. *Fideiussoris conuentio generalis reo non prodest.*
6. *Fideiussoris conuentio confideiussori non prodest.*
7. *Singuli fideiussores in solidum tenentur, sed habent exceptionẽ epistolæ D. Hadriani.*
8. *Epistolæ D. Hadriani renuntiari potest.*
9. *Fideiussor, qui in rem suam spopondit, reus est.*
10. *Fideiussoris pactio reo & confideiussori prodest, si hoc actum sit.*

11. *Qui sunt duo rei promittendi.*
12. *Duo rei promittendi in omnibus contractibus fiunt.*
13. *Pactio vnius ex duobus reis promittendi alteri non prodest.*
14. *Idem in duobus argentariis dicendum est.*
15. *Sed hæc tunc procedunt, cùm rei promittendi vel argentarij socij non sunt.*
16. *Si duo rei promittendi vice mutua fideiusserunt, pactio vnius alteri prodest.*
17. *Qui dicantur rei stipulandi.*
18. *Vno ex duobus reis stipulandi paciscente se non petiturum pecuniam, pactio ipsi soli nocet.*
19 *Argumentum à solutione ad pactum vel nouationem non perpetuò procedit.*
20. *Argumentum à solutione ad pactum non procedit.*
21. *Facti quæstio est, vtrum pactum in rem sit, an in personam.*
22. *Sed in dubio dicimus, in rem pactum fuisse factum.*

Transeo nunc ad tertiam pactorum diuisionem, quam ICtus proponit *in l. iuris gentium, §. pactorum, hoc titu. nostro.* Pactorum, inquit, quædam in rem sunt, quædam in personam. In rem pacta dicuntur,

quoties generaliter paciſcor ne petam. Vt: ſi Titius mihi debeat centum,& paciſcar me centum illa non petiturum, hoc pactum in rem dicitur, quia generaliter eſt conceptum, hoc eſt, hac pactione dictum duntaxat eſt, me debitum non petiturum, nec eſt adiectum me non petiturum à Titio debitore. In perſonam pacta ſunt, quoties paciſcor ne à perſona petam, hoc eſt, ne petam à Titio, *d l. iuris gentium, §. pactorum*. Et huius diuiſionis ma-
2 gna eſt vtilitas. Etenim in perſonam pacta ad alium non pertinent, ſed ei duntaxat proſunt, cum quo facta ſunt, *l. idem in duobus, §. 1. hoc titul.* In rem autem pacta omnibus proſunt, quorum obligationem diſſolutam eſſe, eius qui paciſcebatur, interfuit, *l. & heredi, §. vltim. hoc titul.* Interfuit, inquam, principaliter & pecuniari-
3 ter. Neque enim quoquo modo cuiuſq; intereſt, cùm alio conuentio facta prodeſt, ſed tunc demum, cùm per eum, cui exceptio datur, principaliter & pecuniariter ei, qui pactus eſt, conſulitur, *l. fideiuſſoris, hoc titul.* id quod exemplis hic propoſitis elucеſcet. Primum ſumptum eſt à debitore &
4 fideiuſſore. Debitoris conuentio genera-
lis

lis fideiussoribus quoque proficit, *d.l. & heredi, in fin. hoc titul.* nisi hoc actum fuerit, vt duntaxat à reo non peteretur, à fideiussore peteretur, tunc fideiussor exceptione non vtetur, *l. nisi hoc actum, hoc titulo.* Et hoc secundum ius Pandectarum & Codicis procedit, quo creditor fideiussorem ante reum principalem potuit conuenire, *l. 5. & l. si alienam, C. de fideiusso.* sicuti & vtrumque eodem iure simul conuenire potuit, *l. 2. in fin. de duobus reis constit. l. grege, §. etiam, de pignor. l. fin. C. de obligatio. & actio.* Hodiè secundum ius Nouella. Constitutionum vix procedit, cùm eo iure fideiussor ante reum principalem non conueniatur, vt Iustinianus in Nouella Constitutione quarta tradidit, nisi beneficio excussionis renuntiauerit, *Andreas Geil libr. 2. obseruatio. pract. c. 27. num. 16. Anton. Gabr. Roman. libr. 3. commun. conclus. tit. de fideiusso. conclus. 1. num. 87.* Si fideiussor generaliter fuerit pactus, 5
conuentio eius reo non prodest, *d. l. fideiussoris, & d. l. idem in duobus, hoc titulo.* Diuersitatis ratio hæc est, quòd debitore paciscente, interest eius principaliter & pecuniariter fideiussorem liberari, ne ipse à fideiussore qui soluit, mandati iudicio, *l.*

quod dictum est.h.tit.n. vel negotiorum gestorum actione, *l.sed videamus, inf.de negot. gest.* conueniatur. Et ideò si mandati actio nulla sit, neq; etiam negotiorum gestorum vt si fideiussor donandi animo fideiussit, dicemus, debitoris conuentionem fideiussori non prodesse. *d.l.quod dictum est, h.tit.& d.l.sed videamus, de negot. gestis.* At fideiussore paciscente, nihil ipsius interest, à debitore pecuniam non peti. *d.l.fideiussoris, h. tit.* Nam etsi debitor soluerit, nullam tamen aduersus fideiussorem, qui pactus est, actionẽ habet, qer quam id quod soluit, ab eo repetere posit. Ideoq; pactio fideiussoris reo principali non proficit
6 Idem de confideiussore dicimus. Etenim pactio fideiussoris confideiussori non prodest. *d.l.fideiussoris*, propterea quòd fideiussoris pacíscẽtis pecuniariter non interest, confideiussoris obligationem dissolui. Et si confideiussor soluit, aduersus fideiussorem actionem nullam habet.l. vt fideiussor, inf.de fideiusso. *l.cùm alter, C. eod.* Creditor igitur à solo fideiussore cum quo pactus est, pacti exceptione obstante, non petet : à confideiussore vtiliter petere po-
7 test. Et quidem solidum à confideiussore
potest

potest petere, quia singuli fideiussores in
solidum tenentur *§. si plures, Instit. de fide-*
iusso. At inuitus fideiussor solidum non sol-
uet, sed vtetur, si volet, exceptione episto-
læ Diui Hadriani. Ex illa epistola obli-
gatio inter fideiussores diuiditur, & credi-
tor compellitur à singulis fideiussoribus
partes petere *l. inter fideiussores, de fideiusso-*
ribus. d. §. si plures, Instit. de fideiusso. nisi fide-
iussores epistolæ Diui Hadriani renuntia- 8
uerint, quod iure facere possunt: Iuue-
nal. à Castaforti *in §. si plures, Instit. de fide-*
iusso. & ibi quoque *Nicolaus Bello. num. 12.*
quia omnes licentiam habemus renunti-
andi iis, quæ pro nobis introducta sunt. *l. si*
quis in conscribendo, C. de episco. & cleri. l. pen.
C. de pact. Sanè si fideiussor in rem suam, 9
hoc est, ad suam vtilitatem spopondit, hoc
casu fideiussor pro reo accipiendus est, id
est, potius reus quàm fideiussor, & is pro
quo fideiusserit, fideiussor potius quàm reus
esse dicitur; & ideò pactum cum fideiusso-
re factum, cum reo factum esse videtur. *l.*
sed si fideiussor, h. tit. n. atq; ideò reo & confi-
deiussori prodest. Sic fideiussoris quoq; pa- 10
ctio reo & confideiussore prodest, si hoc a-
ctum sit, ne à reo & confideiussore petere-

 tur. *l.*

tur, *l. videlicet, h. tit. nost.* idque propter vicinitatem obligationum receptum est, cùm aliàs alteri pacisci nemo possit, vt supra in prima pactorum diuisione explicatum est & infrà latius dicetur. Et hoc casu datur reo & confideiussori nō exceptio pacti, sed doli mali, *d. l. idem in duobus, in fin. cum l. seq. hoc tit.* quæ certis casibus, in subsidium exceptionis pacti, dari solet, *l. rescriptum, § plerunque, h. tit.* Secundum exemplum pertinet ad duos reos promittendi, & ad duos
11 argentarios qui aliquid debent. Duo rei promittendi dicuntur, qui eandem pecuniam singuli in solidum debent, *d. l. & heredi, § vlt. h. tit.* & fiunt hoc modo: Mœui decem aureos dare spondes, & Sei eosdē decem aureos dare spondes, si respondeant singuli separatim, spondeo, *§. duo pluresuè, Institut. de duob. reis stipulan. & promit.* Non tantum autē verbis stipulationis duo rei promittendi fiunt, sed etiam in cæteris cōtractibus, vt: Si eandem rem apud duos pariter deposui, vtriusq; fidem in solidum secutus, vel eandem rem duobus similiter
12 cōmodaui, duo rei promittendi sunt. Quin imò testamento duo rei promittendi fieri possunt, vt: Si pluribus heredibus institu-

tis

tis testator dixit, Titius & Mœuius Sempronio decem dato, *l. eandem rem, de duobus reis constituen.* ibi Florentiæ rectè legitur, dato: in aliis codicibus malè, danto Ac copulatiua, Et pro disiunctiua, Aut, accipienda est, quemadmodum liquidò apparet ex *l. si ex toto, de legat. 1. l. si Titio & Seio, de legat. 2. l. ille aut ille, de legat. 3.* Si igitur 13
Mœuius & Seius duo sint rei promittendi, & Mœuius paciscatur, ne pecunia petatur, pactio Mœuii Seio non prodest, quia nihil paciscentis interest, à conreo promittendi pecuniam non peti. Licet enim Seius pecuniam postea soluerit, non tamē habet actionem, per quam pecuniam solutā vel in solidum, vel pro parte à Mœuio repetere possit: non actionem mandati, quia Mœuius nō mandauit ei, vt solueret: nō negotiorum gestorum, quia negotium Mœuii non gessit, sed proprium, & solidum soluit, quia solidum debuit. Non potest etiam creditor actionem, quam in Mœuium habuit, soluenti conreo vtiliter cedere, quia paciscendo actionē illam remisit. Et ideò, vt dictum est, pactio vnius ex duobus reis promittendi alteri non proficit. Idem 14
in duob. argentariis dicendum est. Nam &

pactio

pactio vnius ex argentariis alteri non prodest, proprerea quod argentarius, aduersus argentarium, actionem nullam habet. Et hæc de duob. reis promittendi, itemq; argentariis, qui socii non sunt, intelligenda sunt. Si duo rei promittendi, vel argentarii, soci fuerint, vno paciscente generaliter, liberabitur & alter. Iam enim paciscentis interest, & conreum liberari, ne ipse paciscens à conreo qui soluit, societatis iudicio inquietetur. Ita traditur *in l. 3 §. nunc de effectu, inf. de libera. legat.* ibi vni ex duob. reis promittendi liberatio est legata, & IC. ita distinguit: aut isti duo rei promittendi non sunt socii: aut verò sunt socii. Priori casu legatarius per acceptilationem non liberabitur, quia simul liberaretur conreus. Sicuti enim vnius solutione, omnium obligatio perimitur. *§. in vtraq; Instit. de duob. reis stipulan. & promitten. l. 3. in fine, de duob. reis constituen.* ita & acceptilatione vnius tota soluitur obligatio. *l. 2. de duobus reis constitu.* acceptilatio quippe imaginaria solutio est. *§. item per acceptilationem, Instit. quib. mod. toll. obligat.* At hoc, vt conreus liberetur, contra voluntatem testatoris est. Liberabitur ergo legatarius

gatarius pacto, & pactio cum illo facta conreo non proficiet. Posteriori casu per acceptilationem liberari potest, & vnà liberabitur conreus promittendi, ne, dum à conreo petitur, ipse inquietetur, *d l. 3. §. nunc de effectu.* Et hoc posteriori casu legatarius per pactionem quoque liberari posset, neque id Vlpianus, qui docere voluit, quando legatarius per acceptilationem liberetur, negat, & ostendit ICtus in *l. idem in duobus, h. tit. nost.* Illa lex est Pauli *ex lib. 3. ad edictum,* ex quo libro etiam est, *l. & heredi, & l. fideiussoris, h. tit. nost.* Et quod Paulus illis duabus legibus de debitore tradidit, eius conuentionem fideiussori prodesse, idem tradit postea de duobus reis promittendi, & duobus argentariis sociis *in d. l. idem in duobus, h. tit.* & verbum, sociis, in fine positum, referendum etiam est ad duos reos promittendi. Et de duobus reis promittendi sociis, accipienda quoque est, *l. 2. C. de duobus reis stipulandi,* quemadmodum hæc legis verba, cum quo communiter mutuam pecuniam accepisti, hoc est, cum quo accepisti pecuniam in rem communem, cum quo societatem iniuisti, ostendunt. Pactum igitur vnius ex duobus reis

pro-

promittendi alteri prodeſt,cum ſocii ſunt.
16 Sic ſi duo rei promittendi vice mutua fideiuſſerunt pactionem vnius alteri prodeſſe dicemus. Paciſcentis enim intereſt,alterius obligationem diſſolui,ne paciſcens, ab altero qui ſolidum ſoluit,actione mandati aut negotiorum geſtorum conueniatur. Hinc Papinian.in *l.reos promittendi,de duobus reis conſtitu.* docet, reos promittendi vice mutua non inutiliter fideiuſſores accipi. Ideò non inutiliter, inquit, quia ſi fit,vt ſoluent in ſolidum competat actio mandati, vel negotiorum geſtorum, aduerſus alterum pro quo fideiuſsit. Et de duobus reis promittendi, qui vice mutua fideiuſſerunt, accipienda eſt *Nouella 99.* quod ipſa inſcriptio περὶ ἀλληλεγγύων indicat. Ex ea Nouella, duo rei promittendi,qui vice mutua fideiuſſerunt, ſinguli in ſolidum non obligantur,ſed pro portione tantum, quod ante eam Nouellam ſecus fuit, *d. l. reos promittendi*, atque ita per dictam *Nouellam 99.* emendatur & corrigitur *d. l. reos promittendi*, aliæ leges, quæ de duobus reis promittendi loquuntnr,correctæ non ſunt. Et ſicuti olim duo rei promittendi, ſinguli in ſolidum tene-

tenebantur: ita hodiè ſinguli in ſolidum tenentur, quamuis communiter interpretibus aliter videatur. Tertium exemplum eſt de duobus reis ſtipulandi, & de duobus argentariis quibus aliquid debetur. Rei 17
ſtipulandi dicuntur, qui eiuſdem pecuniæ ſinguli in ſolidum exactionem habent, *d. l. & heredi*, §. *fin. hoc tit.* & fiunt ad hunc modum: cum duobus ſeparatim ſtipulantibus, ita promiſſor reſpondet: vtrique veſtrum dare ſpondeo, §. 1. *Inſtitut de duobus reis ſtipulandi.* Vno autem ex duobus reis 18
ſtipulandi paciſcente, ſe pecuniam non petiturum, pactio ipſi ſoli, non conreo, nocet, l. ſi vnus, hoc titu. Nec hic diſtinguimus vtrum rei ſtipulandi ſocii ſint, an non. Nam & cum ſocii ſunt, & vnus cum debitore paciſcitur, alteri exceptio non nocet, *d. l. ſi vnus*, quod ipſum etiam de vno ex argentariis, qui cum debitore pactus eſt, dicendum eſt. Tantum enim conſtitutum eſt, inquit ICtus, vt ſolidum alter petere poſsit, hoc eſt, id tantum datum eſt duobus reis ſtipulandi, itemq; duobus argentariis, vt alter ſolidum petere & ſolidum accipere poſsit, §. *ex huiuſmodi*, *Inſtitut. de duobus reis ſtipulan.* non etiam hoc, vt alter

eorum

eorum de solido pacisci posſit. Nec valet huiusmodi collectio: Vni ex duobus reis stipulandi vel argentariis solidum poteſt solui: Ergo & vnus de solido poteſt paci-
19 sci. Hæc, inquam, collectio à solutione ad pactum non procedit. Nam etiam à solutione ad nouationem perpetuò non rectè argumentamur. *d. l. si vnus, hoc tit.* cùm tamen nouatio sit modus tollendæ obligationis, sicut & solutio, quemadmodum ex titulo quibus modis tollitur obliga. in Instit. videre licet. Perpetuò dixi, propterea quòd à solutione ad nouationem quandoq; argumentum procedit, & cui rectè soluitur, is etiam nouare poteſt, vt Paulus inquit *in l. cui rectè soluitur, inf. de nouatio.* sed non semper. Etenim frequenter contingit, vt quis nouare non posſit, quãmuis rectè ei soluatur. *d. l. si vnus, hoc titulo. l. non ideo, de nouatio.* vt, si ſtipuler mihi aut Titio dari, Titio rectè soluitur. *l. cùm quis sibi aut Titio,* cum *l. seq. §. qui sibi aut filio, & l. fin. §. fin. de verborum obligationibus. l. si ita stipulatus sim, & l. qui res suas obligauit, §. qui stipulatus, de solutio. §. planè, Instit. de inutil. stipulatio.* nouare tamen Titius non poteſt. *d. l. cui rectè soluitur. de nouatio. l. quod stipulatus*

tus ita ſum,de ſolutio.& libera. Sic rectè ſoluitur Titio, ſi debitori meo mandaui, vt ipſe ſolueret:at Titius id,quod mihi debetur,ſtipulando nouare non poteſt.*l. ſi debitorem,de nouatio.* Deniq; his,qui in noſtra poteſtate ſunt, quod crediderunt rectè ſoluitur,licet nouare non poſsint.*d.l. ſi vnus,hoc tit.d.l.non ideo,de nouatio.* Argumntum igitur à ſolutione ad nouationem non ſemper procedit, & ex eo Iuriſconſultus 20
Paulus vult euincere,non procedere quoque argumentum à ſolutione ad pactum, nec ita rectè inferri: Vnus ex argentariis vel duobus reis ſtipulandi ſolidum poteſt petere,& ſolidum ei rectè ſoluitur: Ergo vnus ex argentariis vel duobus reis ſtipulandi poteſt de ſolido paciſci. Inquit Paulus,nam nec nouare alium poſſe &c. Hæc verba non ad argentarium vel vnum ex duobus reis ſtipulandi referenda ſunt, ſed ad quemcunq; alium præter argentarium vel vnum ex duobus reis ſtipulandi. Vnus enim ex argentariis vel reis ſtipulandi nouare poteſt,ſiue ſocii ſint ſiue non. textus eſt *in l.rem aliquam,§.vlt. de nouat.& notauit Iacobus Cuiacius in d.l.ſi vnus,h.tit.*vbi ſimul docet, non aduerſari, *l. ſi duo.* ſi quis

cautionibus in iudicio &c. & *l.si duo, de receptis*, ibi enim de compromisso & de dolo tractari, non de nouat. & in compromisso & dolo hac distinct. vtimur, vtrum socii sint vel non. Sic vnus ex argentariis vel reis stipulandi iusiurandum deferre, *l. in duobus, de iureiurando*, acceptum facere, *l. & per iusiurandum, §. vltim. de accept.* rem in iudicium deducere, *l. ex duobus, de duobus reis constitu.* potest: vni denique potest constitui, *l. idem est, de constitut. pecun.* Ex his igitur intelligimus, quando pacta in rem aliis proficiant, vel non proficiant. Illud nunc ad-
21 dendum est, totam hanc quæstionem, vtrum pactum in rem sit, an verò in personam, facti quæstionem esse, vt Iurisconsultus loquitur in *l. sicut, § si debitori, quibus modis pign. solui.* hoc est, pendere ex eo, quid paciscentes facere voluerint, vtrum voluerint in rem pacisci, an verò in personam. Nec enim ex eo, quòd persona pacto inseritur, pactum ilicò personale dicendum est. Plerunque enim in conuentionibus persona exprimitur, non vt personale pactum fiat, sed vt demonstretur, cum quo pactum factum est, *d. l iuris gentium, § pactorum, hoc tit.* Mentem igitur conuenien-

uenientium inſpicere oportet, nõ tantum verba, *d. l. iuris gentium, §. pactorum, hoc titul.* Sed ibi Vlpianus ὑστερολογίᾳ vtitur, & vtrum in rem, an in perſonam pactum factum ſit, non minus ex verbis, quàm ex mente conuenientium æſtimandum docet, eaque ὑστερολογία ita, vt diximus, explicanda eſt, vt potius mens conuenientium ſpectetur, quàm verba. Sic quod dicitur in *l. 3. §. ſi emancipatus, de bono. poſſeſſ. contra tabu.* eum qui de inofficioſo cognoſcit, nõ minus merita nepotis, quàm patris delicta perpendere debere, ita explicandum eſt, vt de inofficioſo cognoſcens, non minus patris merita, quàm filii delicta perpendat. Sic in *l 3. §. Labeo, de incend. ruin. naufrag.* vbi de domo & villa expugnata Iuriſconſultus agit, inuerſa ratione ita ſcripſit, nec minus in mari, quàm in villa per latrunculos inquietamur, pro, non minus in villa, quàm in mari inquietamur. Sic denique in *§. iniuria, Inſtitu. de l. Aquil.* vbi de culpa Imperator tractat, ita inquit: nõ minus ex dolo, quàm ex culpa quis tenetur, pro non minus ex culpa, quàm ex dolo. 22
In obſcuro verò & dubio cùm non ſatis conſtat, vtrum pactum in rem, an verò in

 per-

personam conceptum fuerit, dicendũ est, pactum fuisse in rem factum, *l. si pactum factum sit, infr. de probatio. & d. l. sicut, §. si debitori, quib. mod. pign. soluitur*, propterea quòd plerunq; tam heredibus nostris, quàm nobis ipsis cauemus, *d. l. si pactum factum sit, de probatio. l. veteris, C. de contrah. & committen. stipulat.* Et appellatione heredis omnes in infinitum, hoc est, non solum primi, sed & vlteriores per multas successiones accipiuntur, l. heredis appellatio, & *l. sciendum, l. heredis appellatione, de verbo. signifi. Tiraq. de vtroq; retract. gloss. 6. §. 1. sup. verb. ou sess heretiers, num. 20. cum seq. & in tract. le mort saisit, in 5. declarat. 2. partis, Rebuffus in d. l. heredis appellatio, de verb. signfi.*

QVARTA PACTORVM DIVISIO.

1. *Pacta secundum interpretes alia sunt nuda, alia vestita.*
2. *Sed hanc diuisionem Iurisconsulti non agnouerunt.*
3. *Refutatio argumentorum, quibus interpretes ostendere conantur, pacta esse vestita.*

4. *Pacta*

4. *Pacta nuda dicuntur quandoque, quæ solo nomine pacti censentur: nō nuda, quæ non censentur solo nomine pacti sed etiam contractus.*

5. *Omnia pacta, nuda sunt etiam illa, quæ contractibus adijciuntur, & quæ legitima appellantur.*

6. *Nullum simile est idem.*

Superioribus tribus pactorum diuisionibus adijciūt interpretes etiam quartam diuisionem. Pacta, inquiunt, alia sunt nuda, alia vestita. Nuda pacta appellant, quæ sola conuentione consistunt, & neq; in proprium cōtractus nomen transeunt, neque causam, hoc est, dationem, vel factum habent. Vestita quæ transeunt in proprium nomen contractus, vel si nomine destituuntur, saltem habent causam. Sed hanc pactorum diuisionem Iurisconsulti nunquam agnouerunt, nec sunt pacta aliqua, quæ vestita dicantur. Nuda verò dicuntur pacta sæpissimè, ex eo, quòd sola conuentione consistunt. Ita ICtus docet in *l. iuris gentium, §. sed cum nulla, hoc titul* his verbis: Sed cum nulla subest causa præter conuentionem, hic constat non posse constitui obligationem: Igitur nu- 1
2

da pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem. Ob illam ipsam causam pacta vocantur conuenta, in *d.l.iuris gentium, §.ait prætor, & in l.si vnus, §.sed si pactum conuentum cum seqq* contra iuris ciuilis regulas, *hoc titu.l.4.de pignor.& hypothe.l.pacta conuenta, de contrah.empt.toto titul.C. de pactis conuentis tam super dote &c. §.præterea debitor, Instit.de except.* Et sicuti inde, quòd pacta conuenta appellamus, non rectè infertur, pacta aliqua esse non conuenta: ita ex eo, quòd pacta dicimus nuda, non inferemus, pacta aliqua esse vestita. Id non minus inconcinnum est dicere, quàm inconcinnum esset definire, morbos aliquos esse obtusos, propterea quòd medici morbos
3 vocant acutos. Nec quicquam pro interpretibus facit, *l.iuris gentium, hoc titulo nostro*, ex qua pactum vestitum efficiunt. Illa namque lex de conuentionibus loquitur, & conuentiones iuris gentium ostendit esse contractus vel pacta. Contractus sunt cùm in proprium nomen transeunt, vel habent causam, & tunc conuentiones actionem pariunt. Pacta, cùm non habent nomen, nec subest aliqua causa præter conuentionem, & tunc conuentiones ad

exceptionem proficiunt. Et quæ de conuentionibus dicuntur, nequaquam ad pacta sunt trahenda, quia pactum & conuentio non sunt idem, quemadmodum *1. capite* suprà latius exposui. Non faciunt deinde pró interpretibus, *l. legem quam dixisti, C. de pact. l. 1. de pact. conuen. l. vlt. C. de rer. permut. l. diuisionis placitum, de pactis, l. solent, de præscript. verb.* in quibus pactum nudum videtur opponi pacto quod nudum non est. In *d. l. legem quam dixisti, C. de pact* qui dotem pro alumna dabat, legem, hoc est, pactum dationi dotis adiecit, & Imperator rescripsit, legem illam seruari debere. Nec, inquit Imperator, obesse tibi potest, quod dici solet, ex pacto actionem non nasci. Tunc enim hoc iure vtimur, cùm pactum nudum est. Idem dicitur in *d. l. 1. Cod. de pactis conuent. in qua d. l. legem quam dixisti, Cod. de pact.* iisdem verbis repetita est. In *d. l. vltim. Cod. de rer. permut.* rebus donatis ea lex fuit addita, vt donatarius annuum quid præstaret, & ab Imperatoribus est rescriptum, ad implendum placitum præscriptis verbis actionem competere, quia conuentio huiusmodi non nudi pacti nomine censeatur. In *d. l. di-*

uisionis placitum, de pact. Iurisconsultus diuisionis placitum, quod traditione vel stipulatione non sumsit effectum, nudum pactum vocat, atq; ita significat, placitum diuisionis, quod traditione vel stipulatione sumsit effectum, pactum non nudũ esse. In *d.l. solent, de præscript. verb.* conuenit vt tibi indicarem seruum fugitiuum, & tu mihi pro indicatione dares præmium, quod ibi inditium vocatur: ego indicaui tibi seruum, tu postea non vis mihi inditium dare: ICtus inquit, competere mihi aduersum te actionem, quia inquit, conuẽtio ista, hoc est, pactio non fuit nuda, vt quis dicat, ex pacto actionẽ nõ oriri. Atq; ita ex his locis omnibus apparet, pacta alia esse nuda, alia nõ nuda siue vestita. Sed, vt dixi, hæc omnia pro interpretibus nihil faciunt. Nam etsi in dictis legibus significatur, pacta quædam esse non nuda: tamen inde non sequitur, pacta quæ ibi non nuda appellantur, esse pacta vestita.
4 Pacta nuda ibi dicuntur, quæ solo nomine pacti censentur. Non nuda, quæ non censentur solo nomine pacti, sed etiam nomine contractus. *Cuiac. lib. 11. obseruat. c. 17. & 14. obseruatio. c. 28. & in 8. ad Africanum. in explicatione l. Titius Sempronio, de præscript. ver.* vt: pa-

vt: pactus sum tecum, ne à te peterem centum, quæ mihi debes: hoc pactum nudum pactum est, hoc est, solo nomine pacti censetur. At quando fundum in dotem do, & tecum paciscor, vt soluto matrimonio partem ex dote mihi reddas, pactum non est nudum, hoc est, non censetur solo nomine pacti, sed censetur nomine pacti & contractus simul. Hoc namq; negotium partim naturam pacti habet, partim naturam contractus. Pacti, quia pactum nominatim adscriptum est: contractus: quia causa siue traditio fundi interuenit. *d. l. legem quam dixisti, C. de pact. & d. l. 1. C. de pact. conuent.* Sic si res aliquas tibi donaui, & pactus sum, vt annuum quid mihi præstares, pactum non est nudum, hoc est, negotium, quod inter me & te gestum est, tale est, vt non censeatur solo nomine pacti, sed pacti & contractus simul. Pactum est, quia nominatim pactus sum: contractus est; quia negotium datione sumsit effectum. *d. l. vlt. C. de rer. permuta.* Sic si pactus tecum res diuidere, res aliquas tibi tradidi, pactum nō nudum est, hoc est, negotium huiusmodi tale est, quod non censetur solo nomine pacti, sed pacti & contractus simul. Pacti

nomine censetur, quia pactum intercessit: contractus nomine, quia res ex pactione sunt traditæ. *d.l. diuisionis placitum, de pact.* Sic quando paciscor tecum, vt seruum fugitiuũ tibi indicem, & tu mihi des decem, egoq; seruum indico, negotium partim pacti, partim contractus naturam habet. Pacti; quia nominatim pactus sum, vt seruum tibi indicarem & indiciũ acciperem: contractus, quia causa accessit, & ego indicaui tibi seruum fugitiuum. *d. l. solent, de præscript. verb.* Ita nudum & non nudum pactum in locis suprà dictis accipitur. Aliàs vt antè dictum est, & quidem frequentius, pactum dicitur nudum, quod præter con-
5 uentionem nihil in se habet. Et hoc respectu pacta, quæ non nuda esse diximus, nuda quoque sunt per se considerata, quia per se, absq; causa, quæ pactis accedit, considerata, præter conuentionem nihil in se habent. Quin imò pacta quoque quæ contractibus adiiciuntur, & illa quæ legitima vocantur, nuda sunt. De pactis, quæ contractibus adiiciuntur, hoc traditum est in *d l. iurisgentium, § igitur nuda, de pact.* Postquam enim Iurisconsultus ibi dixit, nudã pactionem obligationem non parere, sed exce-

exceptionem, subiicit ilicò, interdum nudam pactionem ipsam actionem formare, cùm in continenti adijcitur. De pactis legitimis idem probat, *l. frumenti, C. de vsur. l. etiam, ff. eodem, & totus titulus, C. de dotis promiss. & nuda pollicita.* & ibi pollicitationem propriè accipere possumus, itemq; pro pacto, quo sensu sumitur in *l. 5. Cod. de contrah. stipulat.* sicuti suprà *c. 1.* monui. Denique pro interpretũ sententia nihil facit, quòd Cic. orationi simplici, nudæ & ieiunæ ornatum & vestitum orationis opponit. Illud enim dissimile esse dicere possumus, quemadmodum Vlpianus quoddam Pedii ICti argumentum dissoluit in *l. inter stipulantem, §. sacram. ver. sed hæc dißimilia sunt, de verbor. obligat.* & Paulus Celsi. in *l. qui res suas obligauit, §. aream, ibi,* nec simili argumento vsus est, de solution. Et si maximè simile esset, non tamen est idem. Nullum enim 6
simile est idem ex Aristotelis sententia, quam citat & approbat glossa in *l. quod Nerua, in verbo, dolum, depositi.* Et Quintilianus in declamatio. inquit: Hoc ipso benè apparet aliud esse, quod simile est. Corrasius in *l. 5. in prin. in verbis, rerum contrahendarum, de verbor. obligatio.*

CAPVT



CAPVT TERTIVM QVI PACISCI POSSVNT.

1. *Pacisci possunt qui consentire possunt.*
2. *Infans non paciscitur, & infans dicitur usque ad annum septimum.*
3. *Furiosus non paciscitur, quia nulla eius est voluntas.*
4. *Furiosi alij omni intellectu carent, alij interualla furoris habent.*
5. *Furiosus habens interualla furoris testamẽtum facere & contrahere potest.*
6. *Cùm dubitatur, vtrum actus à furioso factus tempore furoris, an tempore intermißionis furoris, factus fuerit, tunc inspicimus, vtrum actus more sapientis factus fuerit, an non.*
7. *Historia fatui cuiusdam Parisiensis.*
8. *Mente captus à furioso distat.*
9. *Prodigus non paciscitur.*
10. *Prodigus olim in curatione agnatorum fuit, hodiè prodigo à prætore bonis interdicitur.*
11. *Facta interdictione bonorum prodigus furioso comparatur, vel pupillo.*

12. Ex

12. Ex Nouella Leonis gesta à prodigo valent, si è re ipsius sint.



13. Ebrius pacisci non potest.

14. Vbi ebrietas ibi furor.

15. Ebrius delinquens mitius punitur.

16. Qui de Imperatore temulētus malè loquitur, non punitur.

17. Quidam censuerunt ebrios delinquentes duplici pœna esse afficiendos.

18. Pupillus dicitur, qui impubes exijt de patris potestate.

19. Pupillorum tres sunt ordines.

20. Pupillus pubertati proximus pacisci potest, ne à se petatur. Idemq; est in pupillo infantiæ proximo.

21. Filiusfamilias rectè paciscitur, ne à se petatur.

22. Filius omnem actionem patri acquirit.

23. Filiofamilias datur quandoque vtilis actio.

24. Actiones vtiles aliàs dicuntur extraordinariæ, aliàs in factum.

25. Filiusfamilias in rem rectè paciscitur, si liberam peculij administrationem habeat.

26. Legatum conditionale patri non acquiritur, conditione existente eo tempore,

quo

quo filius sui iuris est: secus est in stipulatione conditionali.

27. *Stipulatio ex præsenti vires accipit.*

28. *Legatum vires capit ex futuro conditionis euentu.*

29. *Ratio exponitur quare in stipulatione conditionali, tempus contractus, in legato tempus existentis conditionis inspiciatur.*

30. *Filiafamilias pacisci potest ne de dote agat, cùm sui iuris esse cœperit.*

31. *Seruus non rectè paciscitur.*

32. *Serui dicũtur ἀνδράποδες & δορυαλώτοι ac ὀλεροικτῆται.*

33. *Seruus, ne à se petatur, pacisci non potest.*

34. *Si seruus in rem paciscatur, domino & heredi eius exceptio pacti prodest.*

35. *Seruus est ἀπρόσωπος.*

COgnitis pactorum diuisionibus, videndum est, qui pacisci possunt. Et quidem cum pacta consensu fiant, *l.1.h.tit. nostro*, quemadmodum expositum est supr.
1 *c.1.* generaliter definiẽdum est, pacisci posse, qui consentire possunt, & contrà, qui consentire nõ possunt, pacisci quoque non posse.

posse. Sed de his qui pacisci nō possunt, videamus: ita enim intelligemus, qui paciscendi ius habeant, *argum. §.1. Instit. de his qui sui vel alien. iuris sunt. §.1 Instit de tutelis. l.1. §. stipulationum, de stipulatio. prator.* Primū 2
autem non paciscitur infans, quia nullum intellectum habet. *§. pupillus instit. de inutilib. stipulatio.* Et dicimus infantem vsque ad annum septimum *l. si infanti, C. de iure deliberan. l.1. de administrat. & pericu. tuto* ideoq; Constantinus Harmenopulus *lib. 6. epitom. titu 6.* infantem ἑπτάετη interpretatur. Deinde non rectè paciscitur furi- 3
osus, quia nulla eius est voluntas *l. in negotiis. l. furiosi, de reg. iur.* nullus consensus. *l. 2. C. de contrah. empt. & vendit.* sed per omnia & in omnibus absentis, quiescentis, dormientis, & ignorantis loco habetur. *l. 2. §. penult. de iure codicillo. l. vbi non voce, in fi. de reg. iur. l. 1. §. furiosus, ibi, si quis dormiēti. de acquir. possess. l. 4. de diuortiis & repudiis.* & mentis ad omnia cæcitate laborat, vt Cicero loquitur *in 3. Tuscula. quæstio.* Et hoc de furi- 4
oso dicimus, qui continua mentis alienatione omni intellectu caret, *l. Diuus Marcus, de offi. præsid.* qui perpetuò furiosus & mente captus dicitur. *l. cùm prætor, de iudiciis. l.*

iudiciis.l.9.C.de impub.& aliis substitut. Si furiosus interualla furoris habeat, vt dicitur in *l.si cùm dotem,§.si maritus,solut. matrimo.* vel intermissionem furoris. *l.qui testamento, §.ne furiosus,qui testam.facere poss.d. l. 2. C. de contrah.empt. & vendit.* & interualla insaniæ, Caius inquit *in 2. Institut.tit. 2. eo* tem-
5 pore, quo furor eius intermissus est, rectè paciscetur, quia iam sensum habet, & consentire, imò testamentum facere. *§.furiosi, Instit.quib.non est permiss.facere testamen.* & alios quoslibet contractus celebrare potest, nec de eo ambigitur. *d.l.2.C. de contrah.*
6 *empt.& vendit.* Et cùm dubitatur, vtrum actus à furioso gestus, tempore furoris, an verò intermissionis furoris factus fuerit, inspiciamus vtrum actus iste more sapientis gestus fuerit, an non. Priori casu præsumimus furiosum eo tempore quo actus factus est, furiosum non fuisse. Posteriori, eum furore laborasse dicimus, *argum. l. his qui, de tuto.& curato.datis ab his. Bald.in l. furiosum, C.qui testam.fac.poss. Gramma. con. 128. num.25. Idem.decis. Neapo.73. nu.38. Hippoli. de Marsi.singulari.380.* Hinc Hostiensis, Io-
7 hannes Andre.& Panormi. *in c.adnostram, extra de consuetud.* tradiderunt, valuisse senten-

tentiam fatui Parisiensis contra tabernarium petentem pecuniam à paupere, quòd comedisset panem ad odorem carnium ipsius. Fatuuus enim pronuntiauit, solui 8
debere tabernario tinnitu numismatis. Et quod de furioso diximus, idem videtur dicendum de mente capto, qui propriè loquendo à furioso distat, & ideò à furioso seperatur in *§. furiosi quoq; Instit. de curato. l. 2. de inoffi. testam. l. diem proferre, §. coram, de receptis.* Græci furiosos *μαινομένους*, dementes *ἀνοήτους* vocant. Prodigus quoq; paci- 9
sci non poteſt, quia furioso similis est & nullam habere voluntatem intelligitur. *d. l. furiosi, de reg. iur.* Prodigus verò dicitur, qui neq; tempus, neq; finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando & dissipando profundit. *l. 1. de curato. furio. & aliis &c.* Caius euersorem vocat *lib. 1. Institut. tit. vlt.* Ac olim prodigus sicut & furiosus *ex l. 12. tabula.* in curatione agnatorum erat. 10
§. furiosi, Institut. de curato. & lex duodecim tabularum, si Cornificio credimus, ita fuit concepta: Si furiosus existet, aut prodigus, agnatorum gentiliumque in eo pecuniaq; eius potestas esto. Cornificius *in 1. ad Heren.* Hodie prodigo à Prætore curator constituitur,

tuitur & interdictio bonorum fit his verbis: Quando bona tua paterna habitaque (habitaque antiquo more pro auitaque) nequitia tua diſperdis, liberosque tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem tibi ea re commercioq; interdico. Paulus *in 3. ſenten. tit. 4* Facta interdictione prodigus furioſo
11 aſsimilatur, non antè. Ideoq; ſi prodigus, quod ſibi debetur, pactione remiſerit, vel ſi paciſcenti quid promiſerit, paciſcendo ius ſuum deterius non conſtituet, nec promittendo naturaliter obligabitur. Nam etſi ſtipulanti promitteret, non obligaretur, ne quidem naturaliter, & ideo pro eo ne quidem fideiuſſor interuenire poteſt, ſicuti nec pro furioſo, *l. is cui bonis, de verbo. obligatio. l. fideiuſſor, §. fideiuſſor, de fideiuſſori. l. 1. § . ſi quis ita interroget, de verborum obligation.* Si autem pactus fuerit prodigus, ne à ſe peteretur, valebit pactio: quia & ſtipulando ſibi acquirere poteſt, *d. l. is cui bonis*, & tunc prodigus pupillo comparatur, *l. certi condictio, § ſed etſi ei numerauero, de rebus creditis.* Et pupillus meliorem ſuam conditionem facere poteſt, ſine tutoris authoritate, deteriorem non aliter, quàm ſi tutoris authoritas interuenerit,

§. 1.

§.1. *Institut. de authoritat. tutor.* quemadmodum latius explicabimus in titulo de verbor. obligation. vbi simul illorum errorem refutabimus, qui volunt, hodiè quoq; prodigo lege bonis interdici. Illud nunc verbo vno monuisse sufficiat, quod ex Nouel- 12
la Leonis, 39. à prodigo gesta valent, si è re ipsius sint: secus est, si imprudenter & temerè quid fecerit. Sic enim Leo inquit: *τῶν πραγμάτων τηρείσθωσαν αἱ καταστάσεις. καὶ μὲν ἐκείνου οὐδέν τι τοῦ ἀσώτου τρόπου ἐφθάνησαν ἔχουσι, εἶνε βεβαίους τὰς διατάξεις. εἰ δ' ἁμαρτάνουσι τοῦ σώφρονος λογισμοῦ φαίνοιντο, μήτ' ἀποδοχῆς, μήτι βεβαιώσεως ἀξιούσθωσαν*, hoc est, rerum conditiones obseruentur, & si in iis prodigi mores non conspiciantur, quod actum erit, ratũ esto. Si verò à prudenti rerum gestione aberratum esse appareat, tunc quæ gesta sunt, neque approbatione, neq; confirmatione digna habeantur. Hoc amplius ebrius pa- 13
cisci non potest. Cùm enim contractus ab ebrio factus viribus non subsistat, vt Alexander post Baldum voluit, *in l. dolum, Cod. de dolo malo*, per textum, *in c. sanè, 15. quæstio. 1.* vbi dicitur, quòd ebrii nesciunt quid loquantur, meritò etiã pactio ab ebrio facta

14 non valebit. Vbi enim ebrietas,ibi quoque est furor ,*c.venter,35.distinct.* & ebrietas nihil aliud est, quàm voluntaria insania, authore Seneca in epistola ad Lucillium, *83.* ex quo id refert Baldus in l.quid ergo,§.pœna grauior, de his qui not.infa. Ac Plato *in 1. de legib.* ebrium comparat puero.Non solùm, inquit, senex bis puer,
15 verùm etiam ebrius. Hinc traditum est, ebrium delictum committentem clementius esse plectendum,*l. omne delictum*,§. *per vinum,de re militari.*nec pœna mortis afficiendum,si hominem interfecerit,*Matth. de Afflict.in constitut. Neapolit.rubr.13. de homicidi.puniend.num.17.libr.1.Andreas Geil in practic.obseruation.lib.2. obseruat.110.num.22.* quia non ex proposito delinquit, sed impetu quodam, *l. respiciendum est*, §. *delinquitur*, *de pœn.* quod etiam Quintiliano *in 5.& 7.oratoriarum institutionum* placuit,vbi tradidit, ebrietatem ad veniam valere, & in qualitate crimen eleuare.Ob id quoque à Theodosio, Arcadio & Honorio Impe-
16 ratoribus constitutum est,ne puniatur,qui de Imperatore temulentus malè loquitur, *l.vnic.C.si quis Imperatori maledix.*Idque etiam ante tempora illorum Imperatorum

Pyrrhus

Pyrrhus Epyrotarum rex obſeruauit. Hic enim, vt author eſt Plutarchus in vita illius, cùm audiſſet à quibuſdam temulentis adoleſcentibus maledictis ſe oneratum, omnes ad ſe vocauit, & primum eorum rogauit, an ea de ſe dixiſſet: Cui iuuenis reſpondit, hæc nempe rex diximus, dixiſſemusque longè plura, ſi plus vini habuiſſemus: aut vt Quintilianus *libr.6.c.4.* refert, niſi lagena defeciſſet, occidiſſemus te. Et hæc tam vrbana crapulæ excuſatio, tamque ſimplex veritatis confeſsio, iram regis in riſum conuertit, vt Valerius Maximus *libr.5.c.1.* refert. Non defuerunt tamen, 17
qui ebrios delinquentes duplici pœna afficiendos eſſe putârunt, propterea quòd principium delinquendi in ipſis ebriis eſt, cum in ipſorum poteſtate fuerit, ebrietatem vitare, quæ delicti cauſa eſt. Ariſtotel. *in 3. Ethicor. c.5.* ibi Ariſtoteles non refert qui illi fuerint, ſed in *2.politico. c. 10.* tradidit, Pittacum Mitylenenſem legem tuliſſe, vbi ebrii, ſi quem pulſaſſent, maiori pœna damnarentur, quàm ſi ſobrij id feciſſent. Diogenes Laërtius in Pittaco Mitylenæo, eamque ſententiam Carolus V. in edictis promulgatis Anno 31. probaſſe videtur.

Romuleus in *l. vt vim, de iusti. & iur. Tiraquel. de pœnis, causa, 6. Menoch. de arbitrar. iud. quæst. lib. 2. centu. 4. casu 326.* Et hactenus de iis qui propter defectum intellectus & voluntatis pacisci non possunt. Deinceps dicemus de his, qui intellectum & voluntatem quidem habent, & tamen non semper rectè paciscuntur. In hoc numero est
18 pupillus. Pupillus dicitur, qui impubes exiit de patris potestate, siue morte id acciderit, siue emancipatione *l. pupillus, de verb.*
19 *sign.* Et sunt tres gradus siue ordines pupillorum. Aut enim pupillus infans est, aut proximus infantiæ, aut pubertati proximus. *§. pupillus, Instit. de inutil. stipulatio.* Et de pupillo infante sup. dictum est. Proximus infantiæ dicitur, qui egressus est infantiam, & linguæ gnarus est, rerum ignarus. Proximus pubertati, qui nondum egressus est pubertatem, sed prope eam est, ita vt annale duntaxat vel semestre tempus reliquum sit, quemadmodum exposui
20 in commenta. feudo. *c. 5.* Ac pupillus pubertati proximus rectè paciscitur, ne quod debet à se petatur. *l. contra, h. tit.* Idemq; de pupillo qui infantiæ proximus est dicendum est. In pupillis enim proximis infantiæ,

fantiæ propter vtilitatem eorum, benignior iuris interpretatio facta est, vt idem iuris habeant, quod pubertati proximi *d. §. pupillus, Instit. de inutil. stipula, l. 1. §. penult. de obligation. & action.* Si pupillus pactus sit, ne à debitore suo peteret, aut ne intra certum tempus, veluti quinquennium peteret, pactum conuentum ratum non habebitur. Hoc enim pactum contra iuris ciuilis regulam est, quæ habet, quòd pupillus meliorem suam conditionem facere potest, sine tutoris authoritate, deteriorem non aliter, quàm si tutoris authoritas interuenerit. *d. l. contra, h. tit.* Sic filius- 21
familias rectè paciscitur, ne á se petatur, eaq; pactio non tantùm ipsi prodest, verùm etiam patri & heredi patris viuo filio: post mortem verò filii, nec patri, nec heredi proficit, quia personale pactum est. *l. acquirent, §. 1. cum duab. ll. seqq. h. tit. n.* Si filiusfamilias pactus sit, ne ipse peteret, vel ageret, inutile est pactum, *d. l. contra, §. si filius, hoc titulo.* quia filiusfamilias regula- 22
riter suo nomine nullam actionem habet, sed omnem actionem patri suo confestim acquirit, ita vt ne momento quidem actio in persona filii subsistat, *l. placet, de*

acquir.hered. Sanè si filiusfamilias vtilem aliquam actionem habeat, & paciscatur ne agat, pactio valebit, *l.in persona, hoc titu.*
23 Vtilem autem habet actionem filiusfamilias ex contractibus & delictis, si pater eius absit, vel præsens quidem sit, & tamen cesset agere, vt: Si filiusfamilias Romæ studiorum causa agens, viaticulum suum mutuo alicui dedit, & pater sit in prouincia, filio datur actio vtilis, ne impunè fraudem patiatur, & egestate Romæ laboret, viaticulo suo non recepto, quod ad sumptum pater ei destinauerat, *l. si longius, §. vnde ego, de iudiciis.* Similiter si filiofamilias Romæ studiorum causa degenti furtum factum est, vel iniuria est illata, dantur ipsi vtiles actiones, ne dum pater expectatur, impunita sint maleficia, quia pater venturus nō est, vel dum venit, se subtrahit is, qui no-
24 xam commisit, *d. l. si longius, §. 1.* Hæ actiones ob id vtiles dicuntur, quòd vtilitas filiorumfamilias exigit, vt suprà dictis casibus actiones ipsi exerceant. Dicuntur etiam actiones extraordinariæ siue iudicia extraordinaria, *in l. cum filiusfamilias, infr. de reb. credit.* quia ex dictis causis actiones parentibus propriè competunt, *d. l. placet,*

de acqui.hered. sed filiis extra ordinem dantur. Denique dicuntur actiones in factum, *l. in factum, infr. de obligatio. & actio.* Illa lex Vlpiani est ex eodem libro desumpta, ex quo est desumpta, *d. l. cùm filiusfamilias, de rebus credit.* & ideo vna ex altera est explicanda. Has igitur actiones vtiles extraordinarias & in factum, quas filiusfamilias habet, potest filiusfamilias, vt dixi, pactione remittere. Et si pactus sit, ne ageret iniuriarũ, valebit pactio, *d. l. in persona, h. tit. post.* ibi, his verbis, videndum est, ne etsi pactus sit ne ageret, valeat pactio. ICtus affirmat valere pactionem, si filius paciscatur, ne agat iniuriarum. Videndum affirmantis est, non interrogantis vel dubitantis: & sic solent ICti loqui, cum sententiam suam modestè exponere volunt. Soli tamen filio paciscenti & iniuriarum actionem remittenti, pactio nocet, patri agere volenti non nocet, *d. l. in persona, § 1. hoc titu.*
Quòd si filiusfamilias in rem fuerit pa- 25
ctus, hoc est, ne pecunia peteretur, ita pactio eius rata habenda est aduersus patrẽ, si liberam peculii administrationem habeat, & de re peculiari non donandi causa pactus sit, *d. l. contra, §.* Si verò in rem, hoc

titulo n. Si donandi causa fuerit pactus,
non valebit pactio. Filiusfamilias enim
donare non potest, neq; si liberam peculii
administrationem habeat. Non enim ad
hoc ei conceditur libera peculii admini-
stratio, vt perdat. l. filiusfamilias. infr. de
donatio. Non dicitur autem donare filius-
familias, si pro eo, vt ita pacisceretur ali-
quid, in quo non minus vel etiam ampli-
us esset, consecutus fuerit. *d. l. contra, §. fin.
hoc tit.* Sic si filiusfamilias paternam pe-
cuniam crediderit, & credendi tempore
pactus fuerit, ne pecunia intra certum
tempus peteretur, pactio valebit. *l. si autem,
h. tit.* Valet quoque pactio, si filiusfamili-
as pactus fuerit, ne legatum conditionale
peteret, si conditionis existentis tempore
sui iuris esset. *l. & heredi, §. item filiusfamili-*
26 *as, h. tit.* & hoc ideo, quia legatum condi-
tionale, cuius conditio existit, filio sui iuris
facto, patri non acquiritur, sed filio. Secus
est in stipulatione conditionali. Illa enim
patri acquiritur, etiamsi conditio existat
filio emancipato & sui iuris effecto. *l. si fili-
usfamilias, inf. de verb. oblig.* & ob id filiusfa-
milias pacisci non potest, ne, quod sibi sub
conditione promissum est, petat, si condi-
tione

tione existente sui iuris fuerit. Differentiæ 27 verò ratio hæc est, quòd stipulatio ex præsenti vires accipit, *l. vsusfructus, in fin. de stipulatio. seruo.* h. e. in stipulatione id tempus spectatur, quo cōtrahimus, *d. l. si filiusfamilias, de V. O. l. non omne, §. 1. inf. de reg. iur.* & ideo existente cōditione, stipulatio perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset, *l. potior, §. 1. qui potiores in pign. habean.* Si autem sine conditione filius stipulatus esset, patri acquisiuisset. Ergo & existente conditione, ei acquiret, licet eo tempore, quo existit conditio, fuerit emancipatus.
Legatum autem vires accipit, ex futuro 28
conditionis euentu, hoc est, in legato spectatur tempus, quo conditio existit, & idcircò, existente conditione, legatū perinde habetur, ac si tunc primùm purè relictum esset: Si autem tunc primùm relinqueretur, filio acquireretur, nō patri, quia filius sui iuris est. Ergo & existente conditione filio acquiritur, si filius fuerit emancipatus. Ex hac ipsa ratione efficitur, quòd stipulatore ante conditionis euentū mortuo, heres ex stipulatu agit, existente conditione, *§. ex conditionali, Instit. de verb. oblig.* Mortuo autem

autem legatario, ante conditionem exiſtentem, heres ipſius ex teſtamento ad legatum conſequendum non aget, quamuis extiterit poſtea conditio, nam hoc legatum ad heredem non tranſit, *l. vni. § ſin au-*
29 *tem aliquid, C. de cadu. tollen.* Idcircò verò in ſtipulatione conditionali tempus contractus, & contrà in legato conditionali tempus exiſtentis conditionis inſpicimus, quòd contrahentes ſiue purè, ſiue ſub conditione, id agimus, vt non tantum nobis, ſed etiam heredibus noſtris conſulamus, *l. ſi pactum, in fin. de probatio.* & dictum eſt in tertia pactorum diuiſione circa finem, ſuprà. At ſub conditione habito contractu, id non aſſequemur morientes, conditione adhuc pendente, niſi ſtatuamus, eius contractus vires ſtatim ab initio exiſtere, etiamſi nondum extiterit conditio. At qui legat, legatarium duntaxat, non etiam eius heredē ſpectat, & ideo in legatis, tempus quo conditio exiſtit inſpicimus, & ſi eo tempore legatarius in viuis non eſt, legatum extinguitur, vt ſup. dictum eſt. *Cutacius in l ſi filiusfamilias, de verborum obligat.* Quemadmodum autem filiusfamilias de legato conditionali rectè paciſcitur, in id

tempus

tempus,quo sui iuris erit: ita quoque filiafamilias pacisci potest,ne de dote agat, cùm sui iuris esse cœperit.*d.l.& heredi,§.filiafamilias.h.tit.n.* Nam cùm filia sui iu- 30
ris est eo tempore,quo matrimonium per diuortium soluitur,ipsa habet actionem, hoc est,dotis repetitionem:si sit in potestate patris,pater adiuncta filiæ persona habet actionem, nec interest, aduentitia sit dos an profectitia.*Vlpian.in fragm. tit.6. de dotibus.*Et postremis illis verbis non aduersatur.*l.2.inf.solut.matrim.* in qua idem Vlpianus ita scribit:Si filia in potestate patris est, & dos ab eo profecta sit,¦ipsius & filiæ dos est & pater non aliter qùam ex voluntate filiæ petere dotem potest. Nam hæc verba,& dos ab eo profecta sit, Triboniani sunt,nonVlpiani,quemadmodum Anthonius Goueanus *lib.1. variarum lectionum c.44.* & post eum Iacobus Cuiacius in notis ad Vlpianum *d. titulo 6. de dotibus,* notârunt.Idcirco verò Tribonianus ad Vlpianum supra dicta verba, & dos ab eo profecta sit,adiecit,quòd ex constitutione Iustiniani Imperatoris aduentitia dos quæ iure antiquo erat patris & filiæ, hodie ex Iustiniani constitutione,hoc est,ex *l.cùm oportet,*

portet, *Cod. de bonis quæ liber.* propria filiæ
31 eſt. Denique in illorum numero, qui intellectu & voluntate præditi ſunt, & tamen non ſemper paciſci poſſunt, eſt ſeruus. Etenim ſeruus, quod ad ius naturæ attinet, à reliquis hominibus nihil diſtat, *l. quod attinet, de regulis iuris,* & mentem ac
32 intellectum habet. Hinc Diogenes Cynicus interrogatus, cur ſerui dicerentur ἀνδράποδα reſpondit rectè, quia pedes habent dominorum, mentem autem talem, qualem tu habes: author eſt Diogenes Laërtius. Et ſeruos ἀνδράποδα vocat Homerus in verſiculis illis qui à Iuriſconſulto referuntur in l. 1. infrà de contrah. empt. Dicuntur etiam δορυαλῶτοι & δορυκτῆτοι à Sexto Feſto Pompeio libro 3. quia ſerui ſub haſta ſolebant vendi, ſicut etiam ſub corona. *Gellius libr. 7. c. 4. Sextus Feſt. libr. 17.*
33 Seruus autem, ne à ſe petatur, paciſci non poteſt, *l. & heredi, §. 1. hoc titulo.* Petere enim eſt iudicio petere, *l. amplius non peti, infrà ratam rem haberi*, & cum ſeruo iudicium eſſe non poteſt, *l. ſeruus, cum l. ſequent. C. de iudiciis.* Datur tamen domino hoc caſu doli exceptio, quia dolo videtur facere,
qui

qui petit, quod pactus erat se à seruo non petiturum, *d.l. & heredi, §. quod si in personam, hoc titulo.* Si seruus in rem paciscatur, hoc est, ne ea pecunia petatur, prodest 34
domino & heredi eius pacti conuenti exceptio, *d.l. & heredi, §.1. hoc titulo.* Contrà si seruus pactus fuerit, ne ipse petat, inutile pactum est, & pactio domino non nocet, *d.l. contra, § si filius, hoc titu.* quia, vt dictum est, seruus iudicio interesse non potest, *d l. seruus, cum l. sequent. Cod. de iudic.* nec potest quoque seruus domini conditionem deteriorem facere, meliorem potest, idque non ex sua persona, sed ex persona domini. Ipse enim seruus ἀπρόσωπος est, & ex per- 35
sona domini sui χαρακτηρίζεται, vt Theophilus elegāter loquitur *in tit. de stipul. seruo, in Instit.* Et ex his facilè intelligitur, qui pacisci possunt. Videamus ergo nunc quibus liceat pacisci.

CAPVT



CAPVT QVARTVM
QVIBVS PACISCI POSSIMUS.

1. Vnusquisq; sibi pacisci debet, non alteri.
2. Per alterum extraneus intelligitur, cuius iuri & potestati quis subiectus non est.
3. Pactum filij, ne à patre petatur, valet.
4. Et tunc perinde est ac si pater ipse pactus esset.
5. Filius est portio corporis patris.
6. Pater filio pacisci non potest.
7. Quod si facit, ne quidem ipsi patri pactio prodest.
8. Differentiæ ratio, quare pater filio stipulari, non autem pacisci possit.
9. Si pater paciscatur filio tanquam heredi, pactio valet.
10. Heredi consulere & cauere possumus.
11. Coheredibus filij pactio non prodest.
12. Obligatio quæ à defuncto cœpit, in omnes heredes transit.
13. Ratio est mens legis.

14. Ser-

14. *Seruus rectè paciſcitur, ne à domino petatur.*
15. *Hereditarius ſeruus heredi poſt adituro nominatim non paciſcitur.*
16. *De funeſta familia.*
17. *In ciuitate non licet ſepelire.*
18. *Seruus hereditarius generaliter paciſci poteſt ne petatur.*
19. *Hereditas non ſemper perſonam defuncti continet.*
20. *Rectè nobis paciſcuntur, qui bona fide nobis ſeruiunt.*
21. *Item ſerui in quibus vſumfructum habemus.*
22. *Procurator omnium bonorum nobis rectè paciſcitur.*
23. *Alius eſt procurator litium.*
24. *Tutoris pactum pupillo prodeſt.*
25. *Magiſtri ſocietatum pactum ſocietatibus obeſt & prodeſt.*
26. *Reus poteſt paſciſci ne à fideiuſſore petatur & contra.*

Vnuſquiſq; ſibi paciſci debet, non alteri, *l. ſi decem, §. ſi pactus ſim ne à me, hoc tit.* Et quemadmodum alteri ſtipulari nemo poteſt. *l. ſtipulatio iſta habere licere, §.* 1

alteri, de verb. oblig. §. si quis alij, Instit. de inutil. stipul. ita quoq; alteri pacisci nemo potest. *l. quò tutela, §. fin. de regulis iur.* ibi ICtus inquit, nec paciscendo, nec stipu-
2 lando quisquam alteri cauere potest. Per alterum autem ICtus extraneum intelligit, cuius iuri & potéstati quis subiectus non est. *l. 3. C. de inutil. stipulatio.* vt: filia matri paciscitur, pactio est inutilis. *l. inter socerum, §. filia, inf. de pact. dotalibus*. quia filia in matris potestate non est. *§. fœmina, Instit. de adoptio. §. cæteri, Instit. de hered. qual. & differ.* Sic si genero dotem dante pro filia, pater communis eam extraneo reddi pactus vel stipulatus est, nec sibi pater consuluit, cessante voluntate, nec extraneo, prohibente iure, vt Imperator
3 loquitur in *l. si genero, C. de iure dot.* Sanè si filius patri fuerit pactus, pactio valebit. Sic enim Iurisconsultus inquit: Si filius paciscatur, nę à patre petatur, siue de eo paciscatur quod cum ipso, siue de eo quod cum patre contractum est, patri acquirit exceptionem. *l. si tibi decem, §. fin. cum duabus ll. seqq. h. tit. nostro.* Sic filius patri rectè stipulatur. *d. §. si quis alij. Instit. de inutil. stipulat.* Et per quos stipulationib. acqui-

acquiritur, per eoſdem & pactis conuentis acquiri poteſt. *l. per quos*, *h. tit.* Cùm 4
autem filius patri paciſcitur vel ſtipulatur, pactio ſtipulatioq; perinde habentur, acſi pater ipſe pactus vel ſtipulatus eſſet, *l. quodcunq;, de verb. obligat.* propterea quòd filij vox, tanquam patris vox eſt. *§. ei verò, Inſtit. de inutil. ſtipulat.* Filius enim 5
eſt portio corporis patris. *l. cùm ſcimus, §. vlt. C. de agrico. & cenſi. lib. 11. Ariſtot. in 5. Ethico. c. 5.* Sic Dido ad AEneam inquit:

Forſitan & grauidam Dido ſcelerate relinquis,
Parsq; tui latitat corpore clauſa meo.

Imò pater & filius natura eadem eſſe perſona intelliguntur. *l. fin. C. de impub. & alijs ſubſtitut.* & caro filij eſt veluti caro patris aucta, ita quidem vt licet efficiatur nouus homo, propter nouam animam, non tamen dicatur primus homo omninò extinctus poſt mortem ipſius, vt eleganter ex Paulo de Caſtro Tiraq. refert in *l. ſi vnquam, in præfatio. C. de reuo. donatio. & de iure primigen. quæſtio. 40. nu. 31. & 32. & rurſus, quæſtio. 88. num. 1.* Contrà, ſi pa- 6
ter filio paciſcatur, pactio inutilis erit. Parentes enim his, qui in illorum poteſtate ſunt, paciſcendo prodeſſe non poſſunt.

l. & heredi, §. nos autem, h. tit. Si ergo pater pactus ſit, ne à ſe neue à filio petatur, filio pacti exceptio non dabitur, *d. l. & heredi, §. Iulianus, hoc tit.* Quin imò ſi filius patri poſtea heres extiterit, non habebit exceptionem pacti. *d. l. ſi tibi decem, §. ſi pactus ſim, verſ. hoc Iulianus ſcribit, hoc tit.* doli tamen exceptio filio competet. *d. l.*
7 *& heredi, §. Iulianus.* Non ſolùm autem filio, vt dictum eſt, pactio patris non prodeſt, verùm etiam pactio ipſi patri non proficit. *d. l. & heredi, §. cæterum, h. tit.* ibi Iuriſconſultus inquit: Si paciſcar, ne à filio petas, deinde actionem aduerſus me nomine eius inſtituas, non eſt danda pacti conuenti exceptio, nam quod ipſi inutile eſt, nec defenſori competit. Sed ibi malè legitur, ſi paciſcar ne à Titio petas, & legendum eſt, ſi paciſcar ne à filio petas, quemadmodum Iacobus Cuiatius ibi notauit. Aliud in ſtipulatione dicimus. Si enim pater filio ſtipuletur, ſibi acquirit,
8 *d. §. ei verò, Inſtit. de inutil. ſtipulat.* Differentiæ verò ratio inter ſtipulationem & pactum hæc eſſe videtur. In ſtipulatione ius verſatur, in pactis factum. *l. ſi vnus, §. pactus ne peteret, h. tit.* Et ea in quibus

ius

ius versatur, si in personam filij pater concipiat, patri confestim acquiruntur. Ea autem in quibus factum versatur, si in personam filij concipiantur, patri non 9
proficiunt. *l. quod dicitur, de verb. obligat.* Pater igitur nec sibi nec filio exceptionem pacti acquirit, si paciscatur, ne à filio petatur. Et hoc ita procedit, si pater paciscatur filio, tanquam filio: si paciscatur filio tanquam heredi, aliud erit dicendum. Tanquam heredi videtur pacisci filio, si de eo quod secum contractum est, ne à se, neue à filio suo peteretur, pactus fuerit, vt, si auus neptis nomine, quam ex filio habebat, dotē promisit, & pactus ne à se, neue à filio suo dos peteretur, de eo, quod secum contractum est, filio paciscitur, & ideo filio, non tanquam filio, sed tanquā heredi pactus videtur. Hoc autem casu pater filio rectè paciscitur, ex eaq; pactione datur filio exceptio conuentionis siue pacti. *l. auus, hoc tit. n. de pact. & l. auus, infra de pact. dotalib.* Illa lex Pomponij est, & Pomponius pro suæ sententiæ confirmatione adducit Celsum, hoc est, adducit *d. l. auus, hoc titulo de pact.* quæ Celsi est. Ideo q; Iacobus Cuiatius *lib. 11. obseruatio.*

cap. 29. ex Celso *in d. l. auus, de pact. dot alibus*, ita existimat legendum esse: auus pactus est, cum dotem pro nepte sua dixisset, ne à se, neue à filio dos peteretur. Ideò
10 verò pactio valet, cùm pater filio, non vt filio, sed vt heredi paciscitur, quia heredi consuli & cauere concessum est. *d. l. auus, de pact. dotal.* Heres namq; & defunctus quodammodò vna persona esse censentur, *vt dicitur in auth. de iureiur. à morien. præst. post prin.* Hinc est, quòd heres non potest venire contra factum defuncti. *l. cùm à matre. C. de rei vindicatio. l. successores, C. de solutio. l. si vxor. C. de bonis author. iudicis possiden.* nec ex propria quidem persona. *l. venditrici. C. de rebus alien. non alienan.*
11 Soli autem filio heredi, cui pater cauit & consuluit, pactio patris proficit, reliquis coheredibus non proficit. Et ob id si à coherede filij dos petatur, ipse quidem exceptione conuentionis tuendus non erit. Vni enim ex heredibus prouidere possumus, ita vt cæteris non consulatur. *d. l. auus, h. tit. & d. l. auus, inf. de pact. dotalib.* Nec quicquam aduersatur. *l. eum qui ita, §. 1. inf. de verb. oblig.* Nam ibi qui stipulanti promiserat, se & Titium heredem

dem decem daturum, ideo coheredibus Titij tacita pactione non consulit, quòd obligationem, quæ in se cœperat, in vnum ex heredibus, puta in solum Titium constituere voluit, quod lex 12. tabularum non patitur. Ex lege enim 12. tabul. obli- 12
gatio, quæ in defuncto cœpit, in omnes transit heredes, & siquidem diuidua est obligatio, vt si pecunia fuit promissa, heredes promissoris tenentur pro portionibus hereditariis ex lege 12. tabul. Si obligatio sit indiuidua, vt si homo generaliter fuit promissus, aut si Stichus aut Pamphilus fuit promissus, aut si via fuit promissa, per legem duodecim tabularum obligatio non diuiditur, sed singuli heredes in solidum tenentur. *l. heredes, §. an ea stipulatio, cum seqq. famil. hercisc. l. 2. de verb. obligatio. l. 1. C. si certum peta.* Et quæ de patre filio suo tanquam heredi paciscente diximus, ad quemcunq; alium trahenda sunt. Hæc enim ratio, vt heredibus consulatur, *quæ in d. l. auus, hoc titulo & in d. l. auus, infra de pact. dotalibus adscribitur,* non solùm patrem & filium respicit, sed etiam alios Et 13
ratio legis, quæ mens legis dicitur, *Cynus in l. non dubium, col. vlt. vers. secundum dubium est, & Baldus quoq; versi. sequitur*

videre de tertio, ibi, secundò quando ratio. C. de ll. & sic se habet ad verba legis, sicuti anima ad corpus, & verbis dominatur, sicuti anima corpori, *vt venustè Panormita. loquitur in c. nihil, col. 5. de electio. extra.* in legibus & quibuscunq; aliis dispositionib. maximè attendenda, *Bartol. in l. contra legem. de ll.* & magis inspicienda est, quàm verba ipsa legum. *l. scire, §. aliud, de excusa. tuto. l. 3. §. conditio, de adimen. legat. l. pen. ad exhiben. Tiraq. in l. si vnquam, sup. verbo. libertis, num. 45. & multis sequentib. C. de reuocan. donatio. & in tractatu, cessante causa, in 1. parte. nu. 138. cum aliquot seqq.* Hinc à Papiniano traditum est, patrem, qui dotem promisit, pacisci posse, vt post mortem suam, in matrimonio sine liberis defuncta filia, portio dotis apud heredem suum fratrem remaneret. *l. tale pactum, §. fin. h. tit.* Et hæc pactio prodest fratri, si defuncto fatri heres existat. Si heres non extiterit, sed pater, liberis postea susceptis & heredibus testamento relictis, decesserit, pactio fratri non proficit, sed liberis posteà natis prodest, per exceptionem doli. Id enim, inquit Papinianus, inter contrahentes actum est, vt heredibus consulatur, & illo tempore, quo pater

ter alios non habuit, in fratrem suum iudicium postremum contulit. *d. l. tale pactum, §. fin h. tit. nostro.* Porrò quemadmodum filius rectè paciscitur patri : ita quoq; seruus rectè paciscitur, ne à domino suo petatur. *d. l. si tibi decem, §. fin. hoc titulo.* idq; dominicæ potestatis ratio facit, propter quam & seruus domino rectè stipulatur. *toto titulo de stipulationibus seruo. in Instit. l. 1. ff. eod.* Hereditarius autem seruus, heredi pòst adituro nominatim pacisci non potest. *l. si vnus, §. fin. hoc titulo.* quia antequam adeat hereditatem, dominus serui non est. *d. l. si vnus. §. fin.* Sic seruus hereditarius futuro heredi nominatim non potest stipulari, quia stipulationis tempore heres dominus eius non est. *l. seruus hereditarius, infra de stipulat. seruo.* Nominatim verò additur, propterea quòd seruus hereditarius, heredi futuro, nomine eius non expresso, rectè paciscitur & stipulatur. *l. si ex re domini, §. fin. & l. seruus hereditarius, de stipulat. seruo. inf.* In d. l. si ex re domini, §. fin. Iurisconsultus ostendit, hac in re Proculeianos à Cassianis siue Sabinianis dissensisse. Proculus enim negauit, seruum hereditarium

14 (beside "Porrò quemadmodum"); 15 (beside "Hereditarius autem")

futuro heredi ſtipulari aut paciſci poſſe, ob hanc cauſam, quòd futurus heres eo tempore, quo ſeruus ipſi paciſcitur vel ſtipulatur, extraneus eſt, hoc eſt, nondum eſt dominus ſerui, & extraneo paciſci vel ſtipulari nemo poteſt, vt ſupra dictum eſt. Contrà Caſsius reſpondit, vtilem eſſe ſtipulationem, vel vtile eſſe pactum, cùm ſeruus hereditarius futuro heredi ſtipulatur vel paciſcitur, propterea quòd qui poſtea heres exiſtit, videtur ex mortis tempore defuncto ſucceſsiſſe *l. heres quan-*
16 *docunq., de acquir. hered.* Et hæc Caſsij ratio, inquit ICtus, illo argumento commendatur, quòd heredis familia ex mortis tempore funeſta facta intelligitur, licet poſt aliquod tempus heres extiterit. Funeſta facta intelligitur, hoc eſt, quaſi funere polluta. Meminit funeſtæ familiæ Cicero *in 2. de legib.* his verbis: Non eſt neceſſe ediſſeri à nobis, quis finis ſit funeſtæ familiæ. Solebant autẽ Romani ſeptem diebus domi cadauera deplorare, octauo die efferre, & nono ſepelire extra vrbem, non in vrbe: ita enim in leg. 12. tabul. cau-
17 tum fuit: In vrbe ne ſepelito. *Cicero in 2. de legib. Alexander ab Alexan. lib. 3. genial. dier.*

dier.c.2. Balduinus in legib.12. tab. c. 31. idq; ideò vetitum fuit, ne sacra ciuitatis funestarentur. *Paulus in 1. sententia. tit. 31. & vt ab Imperatoribus est rescriptum,* ne sanctum municipiorum ius pollueretur. *in l. mortuorum, C. de religio. & sumptibus fun.* & Hadrianus Imperator quadraginta aureorum pœnam in eos statuit, qui in ciuitate sepeliunt. *l. 3. §. diuus Hadrianus, inf. de sepulch. violato.* Cadauere sepulto & tumulato familia funesta solebat expiari & expurgari porca præcidanea mactata, & aliis cæremoniis. Ex hoc igitur, quòd heredis familia ex mortis tempore funesta dicitur, colligitur, heredem ex mortis tempore defuncto quoq; successisse, &
ideo inquit ICtus manifestum est Cassij 18.
sententiam veriorem esse, & per seruum hereditariũ heredi futuro rectè acquiri. *d. l. si ex re domini, §. fin. de stipula seruo.* Sic si in rem pactũ conuentum factũ sit, vt si seruus hereditarius generaliter pactus est ne petatur, vtilis est pactio, & pacti exceptio hereditati, & per eã heredi posteà facto acquiritur. *d. l. si vno, §. fin. h. t.* Hereditati ideò acquiritur, quia hereditas, sub cuius vniuerso iure seruus continetur, *l. quod seruo de stipu-*

19 *stipulatione seruo* in plerisq; personæ defuncti vicem sustinet. *§. 1. Institut. de stipulat. seruo.* idq; multis argumentis iuris ciuilis comprobatum est. *l. hereditas, de acquir. rer. domin.* In plerisq; , ait Imperator, & Iurisconsultus dicit, multis argumentis id comprobatum esse, quia non semper hereditas personam defuncti sustinet, vt: hereditati furtum non fit. *l. 1. §. Scæuola, si is qui testament. liber &c. l. in eo quod, de acquir. rerum domin.* quod tamen veteres voluerunt, authore Cicerone *lib. 7. epistola.* Sic seruus hereditarius inutiliter vsumfructum stipulatur. l. *vsusfructus, de stipulat. seruo.* Sed de his aliàs. Nunc, qui aliis pacisci possunt, vlterius persequemur.
20 Rectè autem nobis paciscuntur, qui bona fide nobis seruiunt. *l. acquirent, h. tit.* siue liberi homines sint, siue serui alieni. *§. 1. Instit. per quas personas cuiq; acquir. l. qui bona fide, de acquir. rer. domi.* Bona fide, seruiunt, hoc est, ita vt ignoremus, liberos homines aut seruos alienos esse, *quemadmodum ICtus explicat in l. 3. in prin. inf. ad L. Fabiam de plagia.* Sic bonam fidem eleganter Constantinus Harmenopulus. *lib. 1. epitoma. tit. 3.* interpretatur, καλῇ πίςει,

τȣ-

τȣτέςι, οὐκ εἰδὼς ὅτι ἀλλότριον τὸ πρᾶγμα. hoc eſt, bona fide poſsidet, qui non ſcit rem eſſe alienam. Paciſcuntur quoq; no- 21
bis ſerui, in quibus vſumfructum habemus, quia & per illos nobis acquiri poteſt. *§. de iis autem ſeruis, Inſtit. per quas perſonas cuiq; acquir.* Si ergo debitor ſit fructuarius, & paciſcatur ſeruus in quo vſumfructum habet, ne ab eo petatur, paciſcendo meliorem eius conditionem facit. Item ſi creditor eſſet fructuarius, & pactus eſſet ne peteret, ſeruus autem fructuarius paſciſceretur vt peteret, beneficio pacti, quod ſeruus interpoſuiſſet, vtiliter ad petitionem admittetur. *l. ſi debitor, h. tit.* Hoc amplius procurator meus mihi pa- 22
ciſci poteſt *l. reſcriptum, §. vlt. h. tit.* quia intellectu aliquo ipſe paciſci videor. *l. oſſa, in fin. de religio. & ſumptib. fun.* & vox procuratoris, vox domini eſt. *Matth de Afflictis in conſtitut. Neapolita. rubr. 25. contra quem de reſtitu. agatur. num. 36. lib. 1.* Loquor autem de procuratore omnium rerum. *l. nam & nocere, h. tit.* qui etiam procurator negotiorum dicitur. *l. 1. in pr. de procurato. inf. & procurator bonorum. l. procurator totorum bonorum, de procurato.* Et ſi pactus

ſit

propterea quòd ad mouendas instituendasq; actiones datus & constitutus est. Et hic rursus aut in rem suam constitutus & datus est, aut in rem mandatoris. Si in rem suam, hoc est, ad suum commodum, in suam vtilitatem procurator sit constitutus, loco domini habetur, & ideo seruandum erit pactum conuentum. *d. l. sed si tantum, h. tit.* Si in rem mandatoris procurator fuerit datus, conuentio facta domino non nocet, quia nec solui huiusmodi procuratori potest. Ad hoc enim tantum constitutus est, vt agat, non vt ei soluatur, vel vt paciscatur. *d. l. sed si*
24 *tantum. h. tit.* Et quæ de procuratore negotiorum diximus, eadem etiam de tutoribus, curatoribus & magistris societatum intelligenda sunt. Nam & tutoris pactum pupillo prodest. *l. tutoris, h. tit.* itemq; nocet, modò non donandi aut deminuendi causa factum fuerit. *d. l. Lucius Titius, §. fin. de administrat. tuto.* Et si curator furiosi aut prodigi pactus sit, ne à furioso aut prodigo peteretur, longè vtile est curatoris recipi pactionem. *l. contra, §. si cu-*
25 *rator, hoc tit.* Magistri quoq; societatum pactum societatibus obesse & prodesse

con-

constat. *l. item magistri, h. tit.* Societates dicuntur collegia & corpora, quæ in ciuitatibus habentur, & qui præsunt societatibus, magistri societatum vocantur, ex eo, quòd illis præcipua cura societatum incumbit, & quòd magis quàm cæteri diligentiam & sollicitudinem rebus, quibus præsunt, debent. *l. cui præcipua cura, de verb. sing.* Deniq; reus pacisci 26
potest, ne à fideiussore petatur. *l. si vnus, §. si cum reo, h. tit.* Et contrà quoq; fideiussor pacisci potest, ne à reo, neúe à confideiussore petere liceat. *l. idem in duobus, §. fin. cum l. seq. h. tit.* idq; propter vicinitatem obligationum receptum est, quemadmodum exposui in tertia pactorum diuisione, sup. Et tantum de quarto capite, quod sub titulo nostro de pactis proponitur.



CAPVT QVINTVM
SVPER QVIBVS REBVS liceat pacisci.

1. *De omni re familiari pacisci licet: de iure publico non item.*

2. De temporibus quæ iudicatis ad soluendum dantur.
3. Pactio, ne de iudicato agatur, valet.
4. Pactio, ne edium incensarum agatur, valet.
5. De nuntiatione noui operis.
6. Pactio, ne operis noui nuntiationem exequar, valet.
7. Actio depositi duplex est, directa & contraria.
8. Ratio quare actiones aliæ directæ, aliæ contrariæ, aliæ vtrinque directæ.
9. Pactio valet, vt ex causa depositi omne periculum præstetur.
10. Dolus opponitur bonæ fidei.
11. Culpa opponitur diligentiæ: & quot sunt gradus diligentiæ, tot sunt gradus culpæ.
12. Conuentio valet, vt res deposita sit periculo depositarij.
13. Heres debet scribi sine diphthongo.
14. Heredum tria genera sunt.
15. Necessarij heredes habent beneficium separationis: sui & necessarij abstentionis: extranei repudiationis.
16. De heredis pacto cum creditoribus hereditariis.

17. Serui

17. *Seruus qui est in seruitute, est quodammodo similis filiofamilias.*
18. *Creditores cum herede testamento scripto paciscentes, in vnum conuenire debent.*
19. *Cum creditores pares sunt, prætor humaniorem sententiam sequi debet.*
20. *Pactum creditorum cum herede factum, præsentibus creditoribus & absentibus nocet, itemq; priuilegiariis.*
21. *Qui sint priuilegiarij creditores.*
22. *Ratio quare priuilegiariis creditoribus pactum noceat.*
23. *Tutori, qui pactus est cum creditoribus, nocet pactum, si inter creditores ipse quoq; fuerit.*
24. *Herede se non immiscente hereditati, vel hereditatem adire recusante, creditores bona vendunt.*
25. *Bona venduntur per magistrum.*
26. *Proscribuntur bona in celeberrimis locis ciuitatis.*
27. *Proscriptione facta magister legem venditioni adijcit.*
28. *Pluribus emptoribus accedentibus creditor iure πρωτιμήσεως præfertur cognato debitoris.*

29. *Hodie bonis debitorum vendentis curator constituitur.*
30. *Emptor hereditatis aduersus debitores habet ex cessione directas actiones, sine cessione utiles.*
31. *Vtiles actiones prastant directis.*
32. *Pactum, quod debitor hereditarius cum emptore hereditatis fecit, valet.*
33. *Definitio appellationis.*
34. *Olim intra biduum vel triduum appellabatur, hodie intra dies decem.*
35. *Intra triginta dies post factam appellationem acta sunt edenda.*
36. *Appellatio est introducenda intra duos, tres vel sex menses.*
37. *Causa introducta peragenda est intra annum vel biennium.*
38. *Conuentio valet, vt appellans ad certum diem soluat.*
39. *Definitio legati.*
40. *Iustinianus veterem definitionem legati mutauit.*
41. *Legata relinquuntur purè, in diem, & sub conditione.*
42. *Heres præstat cautionem, quòd die veniente & conditione existente velit soluere.*

43. *Pactio*

43. *Pactio ne cautio præstetur, valet.*

44. *Vtrum edictum ædilium curulium rectè dicatur pars iuris prætorij.*

45. *Ex edicto curulium datur actio redhibitoria & æstimatoria.*

46. *Vtraq; actio competit ex reticentia venditoris, & ex dicto promissóue.*

47. *Emptoris est electio vtra actione experiri velit.*

48. *Emptor ob morbum vel vitium rei venditæ ex empto etiam agere potest.*

49. *Quare actiones ædilitiæ sint introductæ, cùm ciuiles dentur.*

50. *Emptori actiones ædilitiæ non competunt, quando pactus est se ijs non vsurum.*

51. *Definitio inofficiosi testamenti.*

52. *Pactio valet, vt certa quantitas præstetur, & de inofficioso non agatur.*

53. *Qui pactus est, vt sui fundi possessio Titio traderetur, fundum petere non potest.*

54. *Pactiones super rebus priuatis valent, etsi respiciant ius alienum, idq; exemplis declaratur.*

55. *Pactio obscura & ambigua venditori, & ei qui locavit, nocet.*

56. In stipulationibus verba contra stipulatorem interpretamur.
57. De iure publico paciſci non poſſumus.
58. Pactio, quæ fit de futura hereditate, eſt contra ius publicum.
59. Definitio hereditatis eiusq; explicatio.
60. Hereditas vel ex teſtamento defertur, vel ab inteſtato.
61. Pactio filiæ iuramento confirmata valet.
62. Forma eſt ſeruanda.
63. Iuramentum metu præſtitum obligat.
64. In his quæ metu fiunt eſt voluntas.
65. Iuramentum metu extortum, interpoſitum ſuper conuentione iure ciuili prohibita, non obligat.
66. Vtrum c. quamuis, trahi poßit ad l. pactum quod dotali. C. de pactis.
67. Pacta de ſuccedendo non valent, quia adimunt teſtamenti factionem.
68. Pacta de non ſuccedendo non adimunt teſtamenti factionem.
69. Refutatio argumentorum, quæ volunt, pacta de futura ſucceßione valere.
70. Pactum inter virum & mulierem factum, vt altero ſine liberis mortuo, bona

bona ad superstitem pertineant, valet.
71. *Idq; ex recepta interpretum sententia potius, quàm ex scripti iuris ratione.*
72. *Donatio reciproca inter coniuges valet.*
73. *Petitio hereditatis significat vindicationem hereditatis.*
74. *Petitio hereditatis datur aduersus eum, qui pro herede poßidet, & pro possessore.*
75. *Petitio hereditatis non datur in eum, qui pro emptore, donato, legato, poßidet.*
76. *Donationes inter virum & vxorem moribus prohibentur.*
77. *Morte tamen viri vel vxoris confirmantur.*
78. *Diuortia iure ciuili libera fuerunt.*
79. *Pacta ne liceat diuertere non valent.*
80. *Fideiussores singuli in solidum tenentur, sed ex epistola D. Hadriani obligatio diuiditur.*
81. *Epistola D. Hadriani pertinet ad mandatores & ad pecunia constituta reos.*
82. *Olim tota hereditas poterat legatis exhauriri, hodie non item.*
83. *Conuentio, ne heres Falcidia vtatur, valet.*

19 *ſtipulatione ſeruo.* in plerisq; perſonæ de-
functi vicem ſuſtinet. *§. 1. Inſtitut. de ſtipu-
lat. ſeruo.* idq; multis argumentis iuris ci-
uilis comprobatum eſt. *l. hereditas, de ac-
quir. rer. domin.* In plerisq; , ait Impera-
tor, & Iuriſconſultus dicit, multis argu-
mentis id comprobatum eſſe, quia non
ſemper hereditas perſonam defuncti ſu-
ſtinet, vt: hereditati furtum non fit. *l. 1. §.
Scæuola, ſi is qui teſtament. liber &c. l. in eo
quod, de acquir. rerum domin.* quod tamen
veteres voluerunt, authore Cicerone *lib.
7. epiſtola.* Sic ſeruus hereditarius inutili-
ter vſumfructum ſtipulatur. l. *vſusfructus,
de ſtipulat. ſeruo.* Sed de his aliàs. Nunc,
qui aliis paciſci poſſunt, vlterius perſeque-
20 mur. Rectè autem nobis paciſcuntur, qui
bona fide nobis ſeruiunt. *l. acquirent, h. tit.*
ſiue liberi homines ſint, ſiue ſerui alieni.
*§. 1. Inſtit. per quas perſonas cuiq; acquir. l. qui
bona fide, de acquir. rer. domi.* Bona fide, ſer-
uiunt, hoc eſt, ita vt ignoremus, liberos
homines aut ſeruos alienos eſſe, *quemad-
modum ICtus explicat in l. 3. in prin. inf. ad
L. Fabiam de plagia.* Sic bonam fidem ele-
ganter Conſtantinus Harmenopulus. *lib.
1. epitoma. tit. 3.* interpretatur, καλῇ πίστει,
τȣ-

τετέςι, τοῦ εἰδὼς ὅτι ἀλλότριον τὸ πρᾶγμα. hoc eſt, bona fide poſsidet, qui non ſcit rem eſſe alienam. Paciſcuntur quoq; no- 21
bis ſerui, in quibus vſumfructum habemus, quia & per illos nobis acquiri poteſt. *§. de iis autem ſeruis, Inſtit. per quas perſonas cuiq; acquir.* Si ergo debitor ſit fructuarius, & paciſcatur ſeruus in quo vſumfructum habet, ne ab eo petatur, paciſcendo meliorem eius conditionem facit. Item ſi creditor eſſet fructuarius, & pactus eſſet ne peteret, ſeruus autem fructuarius paſciſceretur vt peteret, beneficio pacti, quod ſeruus interpoſuiſſet, vtiliter ad petitionem admittetur. *l. ſi debitor, h. tit.* Hoc amplius procurator meus mihi pa- 22
ciſci poteſt *l. reſcriptum, §. vlt. h. tit.* quia intellectu aliquo ipſe paciſci videor. *l. oſſa, in fin. de religio. & ſumptib. fun.* & vox procuratoris, vox domini eſt. *Matth de Afflictis in conſtitut. Neapolita. rubr. 25. contra quem de reſtitu. agatur. num. 36. lib. 1.* Loquor autem de procuratore omnium rerum. *l. nam & nocere, h. tit.* qui etiam procurator negotiorum dicitur. *l. 1. in pr. de procurato. inf. & procurator bonorum. l. procurator totorum bonorum, de procurato.* Et ſi pactus ſit

sit procurator rerum mearum aut negotiorum, ne à me petatur, prodest mihi pactio, non tamen datur mihi exceptio pacti, sed doli mali. *d.l. rescriptum, §. fin. h. tit.* Sic quoq; procuratoris pactum mihi nocet, siue mandaui ei vt pacisceretur, siue omnium rerum procurator fuit. *l. nam & & nocere, h. tit.* Nec aduersatur. l. mandato, de procurato. quæ de procuratore mandatum generale habente, hoc est, de procuratore omnium rerum siue bonorum loquitur, & ait, mandato generali non contineri etiam transactionem decidendi causa interpositam, & ideò postea eum qui mandauit, si transactionem ratam non habuit, non posse repelli ab actionibus exercendis. Nam ibi pro decidendi, legendum videtur deminuendi. Et procurator negotiorũ meorũ rectè paciscitur siue transigit, eaq; pactio siue transactio mihi prodest & nocet, modò ex negotiorum vtilitate paciscatur vel transigat, non deminuendi causa. Et pro decidendi, legendum esse deminuendi, verba ipsa indicant. Decisio pactionem siue transactionem significat, *vt sup. monui.* Et esset locutio inepta & ridicula : Transactio decidendi

dendi causa interposita, hoc est, transactio paciscendi siue transigendi causa interposita. Sic tutor transigere non potest deminuendi causa. *l. Lucius Titius, §. fin. de administrat. tuto.* aliàs potest, vt mox dicetur. Quòd verò negotiorum meorum procurator rectè paciscitur, inde colligit Paulus, quòd & solui ei potest. *l. quia & solui, h. tit.* Sic è contrario Caius docet, pupillum non posse pacisci sine tutoris authoritate, ne à debitore suo petat, quia nec solui pupillo sine tutoris authoritate possit. *l. contra, h. tit.* Sed hæc ratio, à solutione ad pactum, plerunq; procedit. Et plerunque cui rectè soluitur, is pacisci potest: & contrà, cui non rectè soluitur, is nec pacisci potest. Plerunq; dixi, quia non semper à solutione ad pactum argumentum procedit, vt: vni ex duobus reis stipulandi rectè soluitur, vnus tamen ex duobus reis stipulandi pacisci non potest. *l. si vnus ex argentariis, h. tit.* idq; suprà in tertia pactorum diuisione latius expositum est. A- 23
lius est procurator, qui litium procurator dicitur, *l. hoc iure vtimur, inf. de solutio.* quem Paulus procuratorem ad actionem factum appellat *in l. sed si tantum, hoc titulo.*

propter

propterea quòd ad mouendas instituendasq; actiones datus & constitutus est. Et hic rursus aut in rem suam constitutus & datus est, aut in rem mandatoris. Si in rem suam, hoc est, ad suum commodum, in suam vtilitatem procurator sit constitutus, loco domini habetur, & ideo seruandum erit pactum conuentum. *d.l.sed si tantum,h.tit.* Si in rem mandatoris procurator fuerit datus, conuentio facta domino non nocet, quia nec solui huiusmodi procuratori potest. Ad hoc enim tantum constitutus est, vt agat, non vt ei soluatur, vel vt paciscatur. *d. l. sed si*
24 *tantum.h.tit.* Et quæ de procuratore negotiorum diximus, eadem etiam de tutoribus, curatoribus & magistris societatum intelligenda sunt. Nam & tutoris pactum pupillo prodest. *l. tutoris,h.tit.* itemq; nocet, modò non donandi aut deminuendi causa factum fuerit. *d. l. Lucius Titius, §. fin. de administrat. tuto.* Et si curator furiosi aut prodigi pactus sit, ne à furioso aut prodigo peteretur, longè vtile est curatoris recipi pactionem. *l. contra, §. si cu-*
25 *rator, hoc tit.* Magistri quoq; societatum pactum societatibus obesse & prodesse con-

constat. *l. item magistri, h. tit.* Societates dicuntur collegia & corpora, quæ in ciuitatibus habentur, & qui præsunt societatibus, magistri societatum vocantur, ex eo, quòd illis præcipua cura societatum incumbit, & quòd magis quàm cæteri diligentiam & sollicitudinem rebus, quibus præsunt, debent. *l. cui præcipua cura, de verb. sing.* Deniq; reus pacisci 26
potest, ne à fideiussore petatur. *l. si vnus, §. si cum reo, h. tit.* Et contrà quoq; fideiussor pacisci potest, ne à reo, neúe à confideiussore petere liceat. *l. idem in duobus, §. fin. cum l. seq. h. tit.* idq; propter vicinitatem obligationum receptum est, quemadmodum exposui in tertia pactorum diuisione, sup. Et tantum de quarto capite, quod sub titulo nostro de pactis proponitur.



CAPVT QVINTVM
SVPER QVIBVS REBVS liceat pacisci.

1. *De omni re familiari pacisci licet: de iure publico non item.*

2. De temporibus qua iudicatis ad soluendum dantur.
3. Pactio, ne de iudicato agatur, valet.
4. Pactio, ne edium incensarum agatur, valet.
5. De nuntiatione noui operis.
6. Pactio, ne operis noui nuntiationem exequar, valet.
7. Actio depositi duplex est, directa & contraria.
8. Ratio quare actiones alia directa, alia contraria, alia vtrinque directa.
9. Pactio valet, vt ex causa depositi omne periculum prastetur.
10. Dolus opponitur bona fidei.
11. Culpa opponitur diligentia: & quot sunt gradus diligentia, tot sunt gradus culpa.
12. Conuentio valet, vt res deposita sit periculo depositarij.
13. Heres debet scribi sine diphthongo.
14. Heredum tria genera sunt.
15. Necessarij heredes habent beneficium separationis: sui & necessarij abstentionis: extranei repudiationis.
16. De heredis pacto cum creditoribus hereditariis.

17. Seru

17. *Seruus qui est in seruitute, est quodammodo similis filiofamilias.*
18. *Creditores cum herede testamento scripto paciscentes, in vnum conuenire debent.*
19. *Cum creditores pares sunt, pretor humaniorem sententiam sequi debet.*
20. *Pactum creditorum cum herede factum, præsentibus creditoribus & absentibus nocet, itemq́ priuilegiariis.*
21. *Qui sint priuilegiarij creditores.*
22. *Ratio quare priuilegiariis creditoribus pactum noceat.*
23. *Tutori, qui pactus est cum creditoribus, nocet pactum, si inter creditores ipse quoq́ fuerit.*
24. *Herede se non immiscente hereditati, vel hereditatem adire recusante, creditores bona vendunt.*
25. *Bona venduntur per magistrum.*
26. *Proscribuntur bona in celeberrimis locis ciuitatis.*
27. *Proscriptione facta magister legem venditioni adijcit.*
28. *Pluribus emptoribus accedentibus creditor iure πρωτιμήσεως præfertur cognato debitoris.*

29. *Hodie bonis debitorum vendentis curator constituitur.*
30. *Emptor hereditatis aduersus debitores habet ex cessione directas actiones, sine cessione vtiles.*
31. *Vtiles actiones præstant directis.*
32. *Pactum, quod debitor hereditarius cum emptore hereditatis fecit, valet.*
33. *Definitio appellationis.*
34. *Olim intra biduum vel triduum appellabatur, hodie intra dies decem.*
35. *Intra triginta dies post factam appellationem acta sunt edenda.*
36. *Appellatio est introducenda intra duos, tres vel sex menses.*
37. *Causa introducta peragenda est intra annum vel biennium.*
38. *Conuentio valet, vt appellans ad certum diem soluat.*
39. *Definitio legati.*
40. *Iustinianus veterem definitionem legati mutauit.*
41. *Legata relinquuntur purè, in diem, & sub conditione.*
42. *Heres præstat cautionem, quòd die veniente & conditione existente velit soluere.*

43. *Pactio*

43. *Pactio ne cautio praestetur, valet.*
44. *Vtrum edictum aedilium curulium rectè dicatur pars iuris praetorij.*
45. *Ex edicto curulium datur actio redhibitoria & aestimatoria.*
46. *Vtraque actio competit ex reticentia venditoris, & ex dicto promissione.*
47. *Emptoris est electio vtra actione experiri velit.*
48. *Emptor ob morbum vel vitium rei venditae ex empto etiam agere potest.*
49. *Quare actiones aedilitiae sint introductae, cùm ciuiles dentur.*
50. *Emptori actiones aedilitiae non competunt, quando pactus est se ijs non vsurum.*
51. *Definitio inofficiosi testamenti.*
52. *Pactio valet, vt certa quantitas praestetur, & de inofficioso non agatur.*
53. *Qui pactus est, vt sui fundi possessio Titio traderetur, fundum petere non potest.*
54. *Pactiones super rebus priuatis valent, etsi respiciant ius alienum, idque exemplis declaratur.*
55. *Pactio obscura & ambigua venditori, & ei qui locavit, nocet.*

56. *In stipulationibus verba contra stipulatorem interpretamur.*
57. *De iure publico pacisci non possumus.*
58. *Pactio, quæ fit de futura hereditate, est contra ius publicum.*
59. *Definitio hereditatis eiusq; explicatio.*
60. *Hereditas vel ex testamento defertur, vel ab intestato.*
61. *Pactio filiæ iuramento confirmata valet.*
62. *Forma est seruanda.*
63. *Iuramentum metu præstitum obligat.*
64. *In his quæ metu fiunt est voluntas.*
65. *Iuramentum metu extortum, interpositum super conuentione iure ciuili prohibita, non obligat.*
66. *Vtrum c. quamuis, trahi poßit ad l. pactum quod dotali. C. de pactis.*
67. *Pacta de succedendo non valent, quia adimunt testamenti factionem.*
68. *Pacta de non succedendo non adimunt testamenti factionem.*
69. *Refutatio argumentorum, quæ volunt, pacta de futura succeßione valere.*
70. *Pactum inter virum & mulierem factum, vt altero sine liberis morituro,*
bona

bona ad superstitem pertineant, valet.

71. Idq; ex recepta interpretum sententia potius, quàm ex scripti iuris ratione.

72. Donatio reciproca inter coniuges valet.

73. Petitio hereditatis significat vindicationem hereditatis.

74. Petitio hereditatis datur aduersus eum, qui pro herede possidet, & pro possessore.

75. Petitio hereditatis non datur in eum, qui pro emptore, donato, legato, possidet.

76. Donationes inter virum & vxorem moribus prohibentur.

77. Morte tamen viri vel vxoris confirmantur.

78. Diuortia iure ciuili libera fuerunt.

79. Pacta ne liceat diuertere non valent.

80. Fideiussores singuli in solidum tenentur, sed ex epistola D. Hadriani obligatio diuiditur.

81. Epistola D. Hadriani pertinet ad mandatores & ad pecuniæ constitutæ reos.

82. Olim tota hereditas poterat legatis exhauriri, hodie non item.

83. Conuentio, ne heres Falcidia vtatur, valet.

84. *Post mortem testatoris facta valet.*
85. *Pactio de quota litis non valet.*
86. *De honorario valet.*
87. *Honorarium debetur aduocato, cùm vincit & vincitur.*
88. *Supra centum aureos aduocatus de censu non exigit.*

NVnc explicabimus super quibus rebus liceat pacisci. Hoc autem intelligemus ex duabus potissimùm regulis.
1 Prior hæc est: De omnibus rebus familiaribus siue priuatis pacisci licet. *l. iurisgentium, §. si paciscar, cum seqq. h. tit.* Posterior: De iure publico pacisci non licet. *d. l. iurisgentium, §. & generaliter, l. si vnus, §. pacta, quæ turpem causam continent, & l. ius publicum, h. tit.* Hæ regulæ multis exemplis sub hoc titulo nostro de pactis & alibi passim illustrantur. Nos igitur de vtraq; regula breuiter agemus. Et primùm prioris regulæ exempla hîc proposita explicabimus. Si paciscar, inquit ICtus, ne iudicati vel incensarum ædium agam, hoc pactum valet, *d. l. iurisgenti-*
2 *um, §. si paciscar, hoc tit.* Iudicatis ad soluendum certa tempora præstituta fuer.

Ex

Ex 12. tabulis dantur ijs triginta dies. Sic enim in duodecim tabulis ſcriptum fuit: AEris confeſſi rebusq; iure iudicatis triginta dies iuſti ſunto. *Gellius lib.20. cap.1.* Lex duodecim tabularum triginta dies iuſtos vocat, propterea quòd intra illos dies iudicati actio non eſt. Poſtea ex alia quadam lege, iudicato faciendo, duo menſes dati fuerunt, *l. 1. C. Theodo. de vſur. rei iudicatæ.* Hodie ex Imperatoris Iuſtiniani conſtitutione, dantur iudicatis ad ſoluendum quatuor menſes. *l. 2. C. de vſuris rei iudicatæ.* Et quia confeſsi in iure pro iudicatis ſunt. *l. poſt rem iudicatam, de re iudicata.* & poſt confeſsionem, tempora quaſi ex cauſa iudicati habent. *l. 6. §. vlt. de confeſ.* ideo hodie ijs quoq; ad ſoluendum quatuor menſes dari dicemus. Et hoc à Græcis in ſynopſi *βασιλικῶν lib. 9.* his verbis annotatum eſt: *ὁ ὁμολογήσας αἰτὶ καταρκιθέντος ἐςὶ, καὶ ἔχει τὴν τετράμηνον.* Et hæc ſolutionis tempora, humanitatis gratia, iudicatis indulta ſunt. *l. cùm militi, in fin. de compenſatio. & vt Conſtantinus Harmenop. lib. 1. epitom. tit. 4. circa finem eleganter inquit, πρὸς*

παραιτεῖσθαι λύπην, hoc est, vt condemnatis intra illa tempora respirare, & quodammodò sese rursus colligere possit. Intra quatuor igitur menses, aduersus condemnatum, actione iudicati agere non possum. Post quatuor menses, iudicatum actione iudicati rectè conuenio, nisi pactus
3 fuero, ne iudicati agam. Hæc pactio valet. *d. l iuris gentium, §. si paciscar, huiꝰ tit.* de re enim priuata & actione iudicati mihi competente facta est. Ideoq; si postea iudicatum conueniam, poterit me agentem exceptione conuentionis repellere.
4 Sic inquit ICtus, pacisci possum, ne ædium incensarum agam, hoc est, possum pacisci cum illo qui ædes meas incendit, quòd ob eam causam, aduersus illum actionem, qui ædium incensarum actio hic dicitur, instituere nolim. Hæc actio in duplum est, hoc est, incendiarius dupli compendio damnum datum sarcire cogitur, si per incuriam ignis euaserit: si consultò incendiarius incendium inferat, summo supplicio afficitur. *Paul. in 5. senten. titul. 3. l. capitalium, §. incendiarij, de pœn. l. qui ædes, l penult. de incendio, ruina, naufrag. l. si quis dolo, ad L. Cornel. de sicar. vide pro-*
lixè

lixè Menochium de arbitra, iud. quæstionibus
lib. 2. centu. 4. casu. 390. Tertium exem- 5
plum ad nuntiationem noui operis per-
tinet. Nuntiatio noui operis, â quoli-
bet priuato fieri poteſt, hoc modo: De-
nuntio tibi, ne quid in illo loco noui ope-
ris me inuito facias. Et tenet nuntiatio,
quamuis inſcio Prætore facta fuerit. *l. 1. §.*
nuntiatio, de noui oper. nuntia. modò ſit facta
in re præſenti. Nec refert, vtrum ipſi do-
mino, an fabris vel opificibus, qui eo loci
operantur, nuntiatio fiat. Generaliter e-
nim ei nuntiari nouum opus poteſt, qui in
re præſenti fuit domini operisúe nomine,
neque intereſt, quis iſte ſit, vel cuius con-
ditionis, qui in re præſenti fuit. Nam etſi
ſeruo nuntietur, vel mulieri, vel puero,
vel puellæ, tenet nuntiatio. Sufficit enim
in re præſenti operis noui nuntiationem
factam, ſic vt domino poſsit renuntiari.
l. de pupillo, § .nuntiationem, cum ſeqq de ope-
ris noui nuntiat. Facta autem nuntiatio-
ne noui operis, is qui eam paſſus eſt,
non poteſt quicquam operis facere, ante-
quam vel nuntiatio remiſſa fuerit, vel vi-
ce renuntiationis remiſſæ ſatiſdatio de
opere reſtituendo fuerit interpoſita.

l. Præ-

l. Prætor ait, §. *1. de noui operis nuntiat.* Et mißio renuntiationis, itemq; satisdatio fit authoritate Prætoris. Litigatores enim post noui operis nuntiationem, committunt se Prætoriæ iurisdictioni. *d. l. 1.* §. *&* *post noui operis nuntiationem*, *de operis noui*
6 *nuntiat.* Pone nunc, post opus nouum nuntiatum, conuenit inter me & aduersarium, ne operis noui nuntiationem exequerer, sed vt aduersarius opus faceret. Quæritur an hæc pactio valeat? Et quidam putarunt, non valere pactionem, quasi ea in re Prætoris imperium versetur. *d. l. iurisgentium*, §. *si paciscar*, *h. tit.* Hic enim paciscentes noui operis nuntiationem remittunt, quæ remißio authoritatem Prætoris concernit, vt supra dictum est. Contrà ICtus Celsus tradidit, vtilem esse pactionem, & aduersario dandam esse conuentionis exceptionem. Nec enim pactionem priuatorum iussui Prætoris antepositam videri, propterea quod Prætor nihil aliud agebat, quàm vt controuersias eorũ dirimeret, à quibus si litigatores sponte recesserunt, debebit id ratum habere. *d. l. 1.* §. *inde quæritur*, *de nou. oper. nuntia.* Labeo, qui ingenii qualitate & fiducia doctrinæ plurima innouauit *l.* *2.* §.

§. hi duo, in 3. parte de orig. iur. huiusmodi distinctionem adhibuit: Aut opus factum est in priuato, aut in publico. Si opus fiat in priuato, valet pactio, quia hinc de re familiari pactio facta est. Si opus fiat in publico, pactio non valet: & hæc distinctio Labeonis vera est, vt Vlpianus affirmat *in d. l. iurisgentium, §. si paciscar, h. tit.* Quartum exemplum spectat ad actionem depositi. Depositi actio duplex est, directa & contraria, eaq; significatur in Pand. & C. illis verbis, depositi vel contra. Directa actio datur deponenti. Contraria depositario. Directa dicitur quasi principalis. *l. in commodato, §. 1. commoda.* inde directò & principaliter pro eodem sumuntur *in l. vlt. de lega. 3. & §. vlt. Instit. quod cum eo qui in alie. potest.* Contraria, quia ex diuerso & ex contrario datur. *l. 1. & l. vlt. de negot. gest.* Sic actio mandati duplex est, commodati item, *vt ex titulis in Pand. & C. videre licet.* Ex emptione venditione, locatione & conductione & similibus contractibus, actio est vtrinq; directa. Diuersitatis ratio hæc est: quòd depositarius, mandatarius & commodatarius pluribus de causis tenentur, quàm depo- 7 8

l. Prætor ait, §. *1. de noui operis nuntiat.* Et mifsio renuntiationis, itemq; fatisdatio fit authoritate Prætoris. Litigatores enim poft noui operis nuntiationem, committunt fe Prætoriæ iurifdictioni. *d. l. 1. §. & poft noui operis nuntiationem, de operis noui*
6 *nuntiat.* Pone nunc, poft opus nouum nuntiatum, conuenit inter me & aduerfarium, ne operis noui nuntiationem exequerer, fed vt aduerfarius opus faceret: Quæritur an hæc pactio valeat? Et quidam putarunt, non valere pactionem, quafi ea in re Prætoris imperium verfetur. *d. l. iurifgentium*, §. *fi pacifcar, h. tit.* Hic enim pacifcentes noui operis nuntiationem remittunt, quæ remifsio authoritatem Prætoris concernit, vt fup. dictum eft. Contrà ICtus Celfus tradidit, vtilem effe pactionem, & aduerfario dandam effe conuentionis exceptionem. Nec enim pactionem priuatorum iuffui Prætoris antepofitam videri, propterea quod Prætor nihil aliud agebat, quàm vt controuerfias eorũ dirimeret, à quibus fi litigatores fponte receflerunt, debebit id ratum habere. *d. l. 1. §. inde quæritur, de nou. oper. nuntia.* Labeo, qui ingenii qualitate & fiducia doctrinæ plurima innouauit. l.
2. §.

2. §. hi duo, in 3. parte de orig. iur. huiusmodi distinctionem adhibuit: Aut opus factum est in priuato, aut in publico. Si opus fiat in priuato, valet pactio, quia tunc de re familiari pactio facta est. Si opus fiat in publico, pactio non valet: & hæc distinctio Labeonis vera est, vt Vlpianus affirmat *in d. l. iurisgentium, § si pacisscar, h. tit.* Quartum exemplum spectat ad 7
actionem depositi. Depositi actio duplex est, directa & contraria, eaq; significatur in Pand. & C. illis verbis, depositi vel contra. Directa actio datur deponenti. Contraria depositario. Directa dicitur quasi principalis. *l. in commodato, §. 1. commoda.* inde directò & principaliter pro eodem sumuntur *in l. vlt. de lega. 3. & §. vlt. Instit. quod cum eo qui in alie. potest.* Contraria, quia ex diuerso & ex contrario datur. *l. . & l. vlt. de negot. gest.* Sic actio mandati duplex est, commodati item, *vt ex titulis in Pand. & C. videre licet.* Ex emptione venditione, locatione & conductione & similibus contractibus, actio est vtrinq; directa. Diuersitatis ratio hæc est: quòd 8
depositarius, mandatarius & commodatarius pluribus de causis tenentur, quàm depo-

deponens, mandans & commodans, & ideò actiones, quæ in illos dantur, dicuntur actiones directæ, id est, principales. At actiones quæ in deponentem, mandantem & commodantem dantur, dantur tantum ob id, vt depositarij, mandatarij, & commodatarij indemnitati consulatur, & idcirco contrariæ nominantur. Actio autem empti venditi, locati conducti, vtrinque directa est, quia in his contractibus par est contrahentium conditio, hoc est vnus contrahentium iisdem penè modis obligatur, quibus obligatur alter. Si ergo perfecto contractu, & post rem depositam quis paciscatur, ne depositi agat, valet pactum. *d. l. iuris gentium, §. sed etsi quis paciscatur, hoc tit.* quia de iure priuato paciscatur.
9 Sic inquit ICtus, si quis pactus sit, vt ex causa depositi omne periculum præstet, pactio valebit. *d. l. iuris gentium, §. item si quis pactus sit, h. tit.* Hoc vt intelligatur, sciendum est, quòd in contractibus interdum dolus præstatur, interdum culpa, interdum quoq; periculum, *l. contractus, inf.*
de

de regul. iur.. Dolus opponitur bonæ fidei. 10
Bona fides aliàs integra fides dicitur. *l. 1. C. de suffragio.* aliàs syncera fides. *l. 2. C. si propter publicas pensitation.* eaq; in omnibus contractib. præstanda est. *l. si mandato Titij, §. 1. mandati* & ideo dolus à contractibus abesse debet, & rata non est conuentio, ne dolus præstetur. *l. si vnus, §. illud, de pactis. l. in commodato, commodati. l. 1. §. illud non probandum, depositi.* quia hæc conuentio, bonæ fidei contraria est. *d. l. contractus, de regul. iur.* & vt Constantinus Harmenopulus *lib. 6. epitoma : tit. 2.* inquit, non valet διὰ τὸ αἰσχρὸν τύγχάνειν, καὶ ἐναντίον τοῖς ἀγαθοῖς τρόποις, καὶ διεγεῖρον πρὸς ἀδικίαν συναλλάξαντα, καὶ τῶν νόμων καταφρόνησιν, hoc est, quia turpis est & bonis moribus aduersatur, & ad iniuriam legumque contemptum contrahentem inuitat & excitat. Culpa opponitur diligentiæ. Est enim culpa nihil aliud quàm desidia & negligentia. *§. præterea, Instit. quibus modis re contrah. obliga. §. fin. Instit. de societate.* Et quod sunt gradus diligentiæ, tot

tot sunt gradus negligentiæ, id est, culpæ. Est quædam diligentia vehementissima & exactissima, & quasi diligentiæ quædam abundantia: ex aduerso est culpa leuissima. *l. in lege Aquilia, ad L. Aquil.* Est diligentia quædam media: & ex aduerso leuis culpa. Est deniq; diligentia quædam minima & quasi nulla: & ex aduerso lata culpa. Lata culpa, quæ & latior vocatur, *l. quod Nerua, depos.* grauior culpa, *l. liber. homo, §. 1. de acquir. rer. domin.* lata negligentia, *l. tutor qui repertorium, §. competit, de administrat. tuto.* & dissoluta ignorantia, *l. cùm sex menses, de ædil. edicto.* ab omni contractu sicuti & dolus abesse debet, & vtrunq; æquè punitur. *d. l. quod Nerua, depos.* Leuis culpa in omnibus quoq; contractibus præstatur, præterquam in deposito, *l. si sine dolo, l. quod seruus, depos.* & in precario. *l. quæsitum est, §. eum quoq; de precario.* Culpa leuissima in mandato præstatur, tutela & commodato, vt author est Constantinus Harmenopulus *lib. 6. epitom. tit.* 2. his verbis: ἡ ἐντολὴ, καὶ τὸ κομοδάτον καὶ ἡ ἐπιτροπὴ διὰ τούτων τῶν τριῶν καὶ μεγάλην ἐπιμέλειαν ἀπαιτεῖσθαι. *ex quo id notauit Petrus Faber in d. l. contractus, de reg.*

reg. iur. Periculum siue casus fortuitus in contractibus tunc plerunque præstatur, quando quis dominium rei consequitur, vt, in mutuo transit dominium in accipientem, & ideo casus fortuitus ad eum, qui mutuo pecuniam accepit, spectat. *l. incendium. C. si certum petatur.* In depositi igitur actionem dolus tantùm venit & lata culpa, quæ vt dictum est, dolo proxima est, non etiam culpa leuis aut leuissima, multò minus periculum. At si nomina- 12
tim conuenerit, vt res deposita vel nummi, periculo essent eius, apud quem deponuntur, conuentio seruabitur, quia contra iuris formam factam non est. *d. l. iurisgentium, §. item si quis pactus sit, h. tit. & l. 1. §. sæpe euenit, depositi.* Quintum exemplum est de pacto facto inter heredes & creditores: idq́; proponitur *in d. l. iurisgentium, §. si ante, cum aliquot seqq. §§. & ll. hoc tit.* Vt autem hoc exemplum intelligatur, quædam in genere de heredibus præmittenda sunt. Ac in primis, quòd ad heredum no- 13
men attinet, sciendum est, scribi id debere sine diphthongo, quemadmodum Petrus Victorius in suis ad Ciceronem castigationibus annotauit, & ita in Pand. Flo-
 renti-

rentinis perpetuò ſcriptum eſt. Heres enim ab hero, hoc eſt, domino dicitur. *Caſſiodorus in Pſalmum. 2.15. & 77. Cuiat. lib. 5. obſeruatio. c. 10.* & veteres heredes pro dominis accipiebant *§. fin. Inſtit. de hered. qualita. & differ.* item *Mela ſcribit §. legis autem Aquilia a Hero, ad L. Aquil.* Sic, heres dominum ſignificat *in l. hereditate, § pater, de caſtren. pecul.* quod Cuiatius notauit in *obſeruatio. c. 16.* Et quamuis in herede prima ſyllaba producitur, in hero corripitur: tamen nihil id ad rem facit. *Gellius lib. 12. cap. 3. Cuiatius in 5. obſeruationum, d. cap. 10.* Sunt autem tria heredum genera.

14 Aut enim heredes neceſſarij dicuntur, aut ſui & neceſſarii, aut extranei. Neceſſarij heredes ſunt ſerui heredes inſtituti, qui ideò neceſſarij heredes dicuntur, quia ſtatim poſt domini mortẽ velint nolint liberi & heredes fiunt. Sui & neceſſarij heredes ſunt liberi, qui in poteſtate morientis ſunt, & hereditatis delatæ tempore proximiorem gradum obtinent. Appellantur ſui, quia domeſtici heredes ſunt, & viuo patre quodammodò domini exiſtimantur. Hinc eleganter Auſonius inquit:

Iuſta

Iusta quidem series patri succedere, verùm
Esse simul dominos, gratior ordo pijs.

Necessarij, non propterea, quòd necessariò hereditatē adire coguntur, fiunt enim heredes sine aditione. *l. 6. § interdum, de acquir. hered. l. 1. §. qui sunt in potestate, si quis omissa causa testamenti.* & habent ius ἀναφάνσεως *Theophil. in tit. de bono. possess. in Institut.* sed quia velint nolint ipso iure heredes fiunt, propter patriam potestatem. *l. 5. de conditio. & demonstrat.* Extranei heredes sunt, qui testatoris iuri subiecti non sunt, & hi hereditatem adeunt. *l. filiusfamilias, §. 1. ad L. Falcid.* atq; ita Iustinianus hæc explicat *in tit. de hered. qualit. & differ. in Instit.* Porrò necessarij heredes habent beneficium separationis, id est, impetrare possunt à Prætore separationem, vt si non attigerint bona patroni, in ea causa sint, vt eis, quicquid postea acquisierint, separetur. *l. 1. §. vlt. inf. de separatio.* Ad hoc beneficiū Imper. respicit *in. §. 1. Instit. de hered. qual. & differ.* cum inquit: Pro hoc incommodo illud ei commodum præstatur, vt quæ post mortem patroni sui sibi acquisierit, ipsi reseruentur. Sui &

neceſſarij habent beneficium abſtentionis. *l. 3. §. ſcio, de minorib. l. ſi duo, de a quir. hered. d. l. 1. §. qui ſunt in poteſtate, ſi quis omiſſa cauſa teſtam. l. iam dubitari non poteſt, de hered. inſtit.* hoc eſt, his Prætor permittit, vt ſi abſtinuerint ſe hereditate, potius parentis quàm ipſorum bona à creditoribus poſsideantur. *§. ſui autem, in fine Inſtit. de hered. qual. & differ.* Extranei habent beneficium repudiationis. *§. extraneis, Inſtit. de hered. qual. & differ.* Hinc fit, quòd creditoris hereditarii nonnunquam cum heredibus paciſcuntur in partem crediti: cum neceſſariis, item cum ſuis & neceſſariis, vt ſe immiſceant bonis hereditatis: cum extraneis, vt eos inuitent ad adeundam hereditatem. Et facta immiſtione vel aditione, ſeparationis, abſtentionis & repudiationis beneficium ceſſat, & heredes poſtea relinquendæ hereditatis facultatem non habent, vt Iuſtinianus loquitur *in d. §. exatraneis autem, Inſtit. de hered. qual. & differ.* Finge igitur
16 nunc: Heres teſtamento ſcriptus, antequam hereditati ſe immiſceret, vel hereditatem adiret, pactus eſt cum creditoribus hereditariis, vt minus ſoluatur: quæritur

ritur an pactum valeat? Hic ita distinguendum est: Aut heres purè est scriptus, aut sub conditione. Si purè, cuiuscunq; generis heres sit, pactum valet. Et si heres mandato vel dolo creditorum hereditati se immiscuerit, vel adierit hereditatem, mandati vel de dolo actionem in creditores habet. *l. vlt. de dolo. l. si hereditatem, in fine, mandati. l. apud, in prin. de exceptio. doli mali. d. l. iuris gentium, §. si ante aditam hereditatem, h. tit.* Si sub conditione fuerit scriptus heres, tunc videndum est, vtrum necessarius heres sit, an suus & necessarius, an extraneus. Si heres scriptus sit ex genere suorum & necessariorum heredum, vel etiam ex extraneis, pactio valet. Si ex genere necessariorum, pacti exceptio paciscenti non acquiritur. Ratio est: quia seruus in seruitute pactus est: & quod seruus in seruitute agit, post libertatem ei proficere non solet, vt Iurisconsultus *in d. §. si ante aditam hereditatem*, hic loquitur, propterea quòd seruus pro nullo habetur. *l. quod attinet, de regul. iur.* & mortuo comparatur. *l. seruitutē, de reg. iur.* & deniq; ἀπρόσωπος est, vt ad finem tertij capitis suprà expositum est. Ipse tamen

men seruus, ex contractu in seruitute habito naturaliter obligatur, sicuti suprà in prima pactorum diuisione exposui. Sanè doli exceptio, quæ, vt sæpè iam dictum est, quibusdam dari solet, qui exceptione pacti vti non possunt, *l rescriptum,§.vlt. h. tit.* seruo prodest: idq; ICtus à simili ostendit hoc modo: Filiusfamilias heres institutus pactus est cum creditoribus, & emancipatus adiit hereditatem, eiq; datur doli exceptio. Item filiusfamilias viuo patre cum creditoribus paternis pactus est, & is quoq; doli exceptionem habet: Igitur & seruus, qui pactus est cum creditoribus & postea liber factus est, doli exce-
17 ptionem habebit. Hæ species, inquit Iurisconsultus, similes sunt secundum quid, quod sufficit per textum *in l.fin. C. de collation.& ibi Iason nota. idem Iason: in l. inter stipulantem,§.sacram, de verb. oblig.* Ideò similes sunt, quia vt filius in familia patris est, ita seruus est in seruitute: & ideò sicuti filio datur doli exceptio, ita & æquitas naturalis, quam pacta sequuntur, *l. 1. in princ h.tit.* suadet, vt seruo doli exceptio detur. Aliàs autem inter filium & seruum magna est differentia, & filiusfamilias pro nullo

nullo loco habetur, nec est ἀπρόσωπος, vt de seruo dictum est. Ideoque emancipatus filius à patre, capite minuitur: seruus manumissus capitis diminutionem nullam patitur, quia nullum habuit caput. *§. minima, Instit. de capitis diminut.* Filiusfamilias in publicis causis pro patrefamilias habetur. *l. filiusfamilias, de his qui sui vel alieni iuris sunt*: secus est in seruo. Tam ex contractibus quàm ex delictis in filiumfamilias competit actio. *l. tam ex contractibus, de iudiciis.* cum seruo nulla actio est. *l. cum seruo, de regul. iur.* & seruus neq; conueniri neq; conuenire potest, vt ICtus loquitur *in l. quoties, si quis cautio. iudicio sisten.* & expositum est. *sup. c. 3. circa finem.* Denique si filiofamilias sit delata hereditas vel bonorum possessio, non potest pater sine consensu filij eam repudiare vel agnoscere. *l. is qui heres, §. vlt. de acquir. hered. l. 2. C. de repudiant. bono. possess.* At per seruum delatam bonorum possessionem dominus repudiare potest. *l. 1. §. per seruum, de successo. edicto.* Sed ad institutam de pactis tractationem redeamus. Ita demum ergo pactum inter heredem testamento scriptum, & creditores hereditarios factum valet, & creditoribus obest, si creditores 18

conuenerint in vnum, & communi consensu declarauerint, quota parte debiti contenti sint. Si dissentiant creditores, Prætor partes suas interponet, & decreto suo sequetur maioris partis voluntatem. *d.l iurisgentium, §.fin. h.tit.* Maiorem verò partem accipimus ex modo & quantitate debiti, non ex numero personarum *l. maiorem, h.tit.* vt: si fuerint duo, quibus debeantur centum, & tres quibus debeantur duntaxat quinquaginta, non quòd his, sed quod illis visum fuerit, Prætor sequetur. Quòd si creditores sint æquales in cumulo debiti, vt si sint quinq; creditores, & singulis debeantur quinquaginta, tunc maiorem partem definimus ex numero personarum, & plurium creditorum numerus est præferendus. Itaq; quod tribus creditoribus placuerit, id ratum habebitur. *d. l. maiorem, hoc tit.* Si tamen plures sint creditores, qui eandem actionem habent, omnes vnius loco erunt. Verbi gratia: plures sunt rei stipulandi, vel plures argentarii, quorum nomina simul facta sunt, vnius loco numerabuntur, quia vnum debitum est. *l. si plures, h.tit.* Similiter cùm tutores pupilli creditoris plures

res conueniunt, vnius loco numerantur, quia vnius pupilli nomine conuenerunt. Sic quoque vnus tutor plurium pupillorum vnum debitum prætendentium, vnius loco est, non plurium. Nam & is, cui ex pluribus causis debetur, pro vno computatur, nec actiones numerantur, *d.l. si plures, hoc tit.* Si creditores sint pares, & debiti quantitate & numero personarum, vt, si sint sex creditores, & singulis debeantur quinquaginta, & tres ex credito centum velint remittere, alii tres minus, eorum sententia præualebit, qui dignitate inter eos præcellunt. Quòd si omnia sint 19
paria, & vndiq; in vnam æqualitatem concurrant, hoc est, si creditores numero & modo siue cumulo debiti & dignitate sint æquales, tunc Prætor humaniorem sententiam eliget. *d.l. maiorem esse partem, in fin. hoc tit.* Humanior verò sententia est eorum, qui ex credito plus volent remittere. Sic cùm dissonæ, inter pares numero iudices, proferuntur sententiæ, ea præponitur, quæ pro reo facit. *l. inter pares, de re iudica.* cuius rationem prolixè & eleganter Aristoteles exposuit *in problemat. sectio. 29 quæstione 13.* his verbis: Ideo reus vin-

 cit

cit, quia cùm agitur causa, tunc primùm ea audit reus, ad quæ respondere, testesq; adhibere debet, aut aliquid facere aliud, vnde sibi præsidium eruere poßit: facile autem nemini est diuinare, quæ sibi præmolienda præparandaq; sunt, vt se innocentem ostendere valeat. At verò accusator, & antequam in iudicium vocet, rem disponere atq; statuere potest, prout sibi libitum est, & cum iam accersiuit, fictis veri quibusdam similibus agere: quibus rebus cum legum author minui partes Rei videret, fauendum censuit ei, quoties sententiæ iudicum pares inter se fiant. Similiter cum dissonantes pares iudicum existunt sententiæ, pro libertate pronuntiatur. *l. lege Iunia Petronia, de manumiß.* Et si pars iudicantium de inofficioso testamento, pars secundum testamentum sententiam dederit, eam, quæ secundum testamentum est, tanquam humaniorem sequimur. *l. si pars iudicantium, de inoffic. testam.* In pari quoq; creditorum numero, & pari quantitate debiti, eorum creditorum sententiam tanquam humaniorem amplectimur, qui debitori inducias quinquennales concedunt, non illo-

rum,

rum, qui ceſſionem bonorum, quam Imperator miſerabile auxilium appellat, exigunt. *l. vlt. C. qui bonis cedere poſſ.* Illud 20
nunc notandum eſt, quòd pactum creditorum cum herede in portionem crediti factum, non ſolùm præſentibus creditoribus nocet, ſed etiam abſentibus. Illi enim exemplum præſentium ſequi tenentur, *l. reſcriptum, h. tit.* Imò pactio nocet quoq; priuilegiariis abſentibus *d. l. reſcriptum.* Priuilegiarij creditores ſunt, qui pri- 21
uilegium, quod inter perſonales actiones vertitur, habent, *l. ſi ſponſa, de iur. dot.* hoc eſt, priuilegiarij creditores ſunt, qui habent tale ius, vt reliquis creditoribus chirographariis perſonalem actionem habentibus præferantur. Hoc priuilegium *Plin. in epiſtolis ad Traianum Imperatorem* πρωτοπραξίαν appellare videtur. Huiuſmodi priuilegium habet mulier, quæ dotem dedit, nec nupſit. Præfertur enim reliquis creditoribus, quibus ſponſus obligatus eſt. *d. l. ſi ſponſa, de iure dotium. l. quæſitum eſt, §. ſi ſponſa, de rebus authoritate iudicis poſſidend.* Si ſic mulier in conditione mariti errauit, & putauit maritum liberum eſſe, cùm eſſet

esset seruus, datur mulieri priuilegium in bonis mariti, vt si sint alij creditores, ipsa præferatur circa de peculio actionem. *l. si cùm dotem, §. fin. solut. matrim.* Similiter si seruus quasi liber tutelam administrauit, in actione de peculio pupilli potior causa est, quàm cæterorum creditorũ. *l. ex facto quæritur, in prin. de pecul.* Item si filiusfamilias tutelam administrauit, pupillus habet priuilegium in actione de peculio, vt reliquis creditoribus filiifamilias præferatur. *d. l. ex facto quæritur, §. vlt. de peculio.* Creditor quoq; qui ob restitutionem ædificiorum, vel in nauem exstruendam vel instruendam, emendam vel armandam credidit, in pecuniam quã credidit, priuilegium exigendi habet. *l. creditor, de reb. credit. l. qui in nauem, & l. quod quis nauis, de reb. author. iud. poßid.* Denique fiscus, qui in priuati ius succedit, habet priuilegium, vt reliquis creditoribus præferatur. *l. 6. inf. de iure fisci.* His igitur & similibus priuilegiariis creditoribus, etsi abfuerint, pactio creditorum nocet. Sic enim Vlpianus *in d. l. rescriptum, hoc tit. n. inquit*: Reperio D. Pium rescripsisse, fiscum quoq; in his casibus, in qui-

quibus hypothecas non habet,& cæteros priuilegiarios exemplum creditorum sequi oportere. Hæc enim omnia in his creditoribus, qui hypothecas non habent, conseruanda sunt. Ait, fiscum,cùm hypothecas non habet,sequi exemplum creditorum. Non habet hypothecas fiscus,cùm in ius priuati succedit, vt sup. dictum est. Si contrahat cum aliquo fiscus, ius pignoris habet. *l. 2. C. in quib. causis pign. tacitè contrah.* Ideoque hoc casu pactio creditorum fisco non nocet. Sic creditorum pactio non nocet creditori absenti,qui fideiussorem,mandatorem vel pignus habet *l. si precedente, §. Lucius Titius, inf. mandati.* Ratio est: quia creditori, qui fide- 22
iussorem, mandatorem vel pignora habet, satis prospectum est, etsi heres hereditatem non adierit, vel hereditati se non immiscuerit. Priuilegiariis creditoribus similiter prospectũ non est. Illi enim actiones duntaxat personales habent, & illorũ priuilegiũ inter actiones personales vertitur, vt sup. dictũ est. Et si heres testamento scriptus non adeat, hereditatem, vel se non immisceat, non habent creditores priuilegiarij quem conueniant. At è re & vtilitate ipsorum est, vt sit aliquis, quem con-

conuenire posſint, & ideò priuilegiarij creditores abſentes exemplum præſentium creditorum ſequuntur: hypothecarij creditores, vel qui fideiuſſorem vel mandatorem habent, non item. *d. l. reſcriptum, h. tit. & d. l. ſi præcedente, §. Lucius Titius. mandati.* Ex his conſequenter dicere poſſumus, quòd creditores, qui iam adita hereditate cum debitore hereditario paciſcuntur aliis creditoribus abſentibus vel non conſentientibus non præiudicant, cùm adita hereditate, creditores abſentes vel non conſentientes habeant quem conuenire posſint, argumento creditorum abſentiũ, fideiuſſorem vel mandatorem habent, quod non adita hereditate ſecus eſt. Et ideo priuilegiarij creditores exemplum præſentium, vt dictum eſt, ſequuntur. Nec aduerſatur, *d. l. ſi. precedente, §. Lucius Titius,* in qua ICtus docet, quòd præſentes creditores abſenti priuilegium non auferunt. Nam Vlpian. quoq; *in d. l. reſcriptum, hoc tit.* non affirmat, priuilegium auferri priuilegiariis creditoribus, ſed docet, priuilegiarios creditores abſentes exemplum præſentium creditorum ſequi oportere. Sequuntur ergo exemplum præſentium, &

& pactionem à præsentib. factam, vt creditores ab herede portionem ferant, ratã habent, & ipsi portione debiti contenti esse coguntur, sed priuilegium, quod circa actionem personalem vertitur, non amittunt, & præferuntur nihilominus in portione debiti reliquis creditorib. non priuilegiatis. *d. l. si præcedente, §. Lucius Titius, mandati* atq; ita non tantum veteres, sed etiam neoterici, vt Pet. Constal. Baro & alij censuerunt, eorumq; sententia magis mihi, quàm Iacobi Cuia. qui priuilegiariis creditorib. per pactionem præsentium priuilegium auferri censuit, probatur. Et ICti sub h. tit. n. de pactis, de pactione agunt, per quã creditores portionẽ crediti remittunt, non tractant de pactione per quam creditorib. priuilegia auferuntur. Sed hîc nunc pulcra incidit quæstio. Pupillus heres est institutus, & cùm hereditas 23
patris magno ære alieno grauata esset, hereditate se abstinere voluit: tutor cum plerisque creditoribus decidit, id est, pactus est, vt certam portionem acciperent. quæritur an tutor itemque creditor patris eandem portionem retinere debeat? Et quidem videbatur dicendum quod

finem. Proſcribebat autem magiſter bona
debitoris in locis celeberrimis ciuitatis, vt
Cicero *pro Quintio* author eſt, quod Theo-
philus ita reddidit ἐν τοῖς ἐπιφανέσι τῆς
πόλεως μέρεσι, ad hunc modum. Lucius
Titius debitor noſter in ea cauſa eſt, vt bo-
na eius venire debeant : Caius Sempro-
nius, Lucius Titius, Caius Lucius, nos cre-
ditores bona vendemus, qui volet, em-
ptor accedat. Proſcriptione facta, poſt 27
paucos dies magiſter legem venditioni
adijciebat hoc modo : Creditores qui bo-
na L. Titij proſcripſerunt, cum emptore
bonorum, ſi quis acceſſerit, decident pro
dimidia, tertia vel quarta parte crediti, id
eſt, pactum facient, quod dimidia, tertia
vel quarta parte crediti contenti erunt.
Et ſi ſecundum eam legem emptor qui
accedebat, paratus erat ſatisfacere cre-
ditoribus, omnia bona debitoris empti-
onis iure conſequebatur, & dabatur cre-
ditoribus in eum actio ſecundum legem
proſcriptionis, omnesq; actiones, quæ ei
competebant, qui paſſus erat bonorum
venditionem, in eum transferebantur.
Theophilus in titulo de ſucceſſionibus ſublatis
qua fiebant per bono. venditio. in Inſtitut. Plu- 28

ribus quoq; emptoribus accedentibus, creditor iure protomistos præferebatur cognato ipsius debitoris, & cognatus extraneo. *l. cum bona, de reb. autho. iud. possid.* & hoc est, quod dicitur, habendam esse rationem necessariarum personarum *in l. Imperator Antonius, h. t. nostro.* Hodie bona debitorum non existentium soluendo, per magistrum non venduntur, sed bonis curator constituitur. *toto tit. de curatore bonis dando.* Et per curatorem bonorum, bona hodiè honestè distrahuntur, sine infamia debitoris. *l. debitores, C. ex quib causis infamia irrogatur. l. curator, de curatore furioso. &c. cùm per magistrum olim inhonestè venderentur, vt author est Cicero in oratione pro Quintio,* & significatur illo eleganti loco Ciceronis in Pletorium Fonteii accusatorem, quem Quintilianus *lib. 6. notauit*, cuius matrem dixit dum vixisset ludum, postquam mortua esset, magistros habuisse, quòd scilicet infames fœminæ ad eam conuenire solitæ essent, & post mortem bona eius venirent. Sextum exemplum pertinet ad pactum, quod debitor hereditarius cum emptore hereditatis fecit.
30 *l. si cum emptore, hoc tit.* Emptor hereditatis,

ris, aduersus debitores hereditarios, habet actiones directas, si venditor hereditatis eas emptori cesserit: sine cessione habet actiones vtiles ex rescripto Diui Pii, *d.l.si cum emptore, hoc tit.* quemadmodum in prima pactorum diuisione circa finem exposui. Idq; fere perpetuum est, vt vbi ex cessione est actio directa, vtilis competat sine cessione in his speciebus, si nomen venditum, si donatum, si legatum, si pignoratum, si in dotem vel in solutum datum sit, si absentis nomine creditum sit. *l. 1. §. nunc tractemus, de tutela & rationibus distrahendis actione. l. 4. C. si cert. pete. l. 2. C. de obligatio. & actio. l. ex legato, C. de legatis. l. postquam C. heredi. vel actio. vendi.* Et hæ vtiles actiones præstant directis, & 31
si emptor hereditatis eis experiri volet, venditori hereditatis, cui directæ, propterea quòd heres esse non desinit, *l. & si sine, §. sed quod Papinia. de mino, l. ei qui, de hered. inst.* competunt, præfertur, *l. cum procuratore, de procur.* Finge nunc: Debitor hereditarius cum emptore hereditatis pactum fecit, de non petenda pecunia. Hoc pactum va- 32
let, quia de re priuata fit, & nocet non tantùm emptori, sed etiam venditori here-

reditatis. Si enim venditor hereditatis, debitorem hereditarium postea conueniat, potest debitor hereditarius aduersus venditorem hereditatis exceptione doli mali se tueri. *d. l. si cum emptore, h. tit.* Septimum exemplum pertinet ad eum qui appellauit, & pendente appellatione pa-
33 ctus est. *l. tale pactum, §. 1. h. tit.* Appellatio est prouocatio, quæ fit ab inferiori iudice ad superiorem, & iniquitatis sententiæ quærelam continet. *l. præfecti, de mino. l. 1.*
34 *in princ. de appellati.* Ac olim in causa propria intra biduum, in causa aliena intra triduum appellandum erat. *l. 1. §. biduum, & §. in propria causa, quando appelland. sit.* Hodie ex Iustiniani constitutione appellatur intra dies decem. *Nouella. 23. de appella-*
35 *tio.* quod vulgò decendium appellant. Et facta appellatione, appellanti intra 30. dies acta cum subscriptione iudicis edenda sunt. *l. iudicib. C. de appella.* Tum introducenda est appellatio intra duos, tres
36 vel sex menses. Intra duos quando appellatur à delegatis siue pedaneis iudicibus ad iudices ordinarios. *l. 2. §. sin autem, C. de tempo. appellatio.* Intra 3. vel 6. menses, quando à spectabilib. iudicib. de legatis appel-

appellatur, ad ſacrum auditorium. *l. vlt. C. de tempo. appellatio.* Poſt lapſum horum menſium datur adhuc menſis. Poſt primi huius menſis lapſum, datur ſecundus menſis. Poſt ſecundum tertius. Poſt. tertij menſis lapſum, id eſt, poſt quatuor lapſus, intra tres menſes datur reparatio ex reſcripto, ſi à viris ſpectabilibus ſit appellatum. Si à iudicibus delegatis, reparatio non datur, ſed fit executio ſententiæ ſtatim poſt quartum lapſum. *d. l. 2. & l. vlt. C. de tempo. appellatio.* atque ita tempora introducendæ appellationis aliàs anno, aliàs nouem menſibus, aliàs menſibus quinq; concludunt. Et vniuſcuiuſq; lapſus extremus dies erat fatalis, id eſt, eo die agenda erat cauſa & in iudiciũ deducenda. Iuſtinian. poſtea 10. dies fatales fecit, quinq; ante lapſũ, & alios quinq; poſt lapſũ. *d. l. vlt. C. de temp. appel.* Cauſa introducta peragenda eſt intra annum, vel ſaltem biennium. *l. vlt. §. illud, C. de tempo. appellatio. Nouell. 50.* Et hunc annum vel biennium hoc peragendæ cauſæ conſtitutum, interpretes vulgò primum & ſecundum fatale appellant. *Chilian.* König *in practi. c. 110.* quòd quàm rectè fiat, ex his quæ iam dicta ſunt, dijudica- 37

38 dicari poteſt. Pone nunc: Appellans, qui condemnatus erat in centum, pactus eſt ſe ſexaginta ad diem certum ſoluturum, & ſi non ſoluerit iudicato ſe ſatisfacturum. Huiuſmodi conuentio, quia de re priuata facta eſt, rata habetur. Et ſi appellans ad diem dictum pecuniam non ſoluerit, iudex appellationis, nullo alio de principali cauſa diſcuſſo, iuſtam conuentionem velut confeſsi ſequetur, *d.l.tale pactũ, §.1.h.tit.* hoc eſt, iudex non amplius audiet appellantem volentem appellationem ſuam proſequi, ſed tanquam confeſſum condemnabit. Octauum exemplum pertinet ad pactum inter heredem & legatarium factum
39 *l. pactum inter heredem, h.tit.* Legatum eſt donatio quædam à defuncto relicta, *§.1. Inſtitut.de leg.* ita ſecundum ius nouum legatum definitur. Olim erat donatio teſtamento relicta, *l. legatum, de legat.2.* ſed quia hodie legata etiam ab inteſtato relinquuntur, ſicuti fideicommiſſa olim relinqui poterant. *§. præterea, Inſtit.de fideicom.heredit.* legata enim & fideicommiſſa per omnia exæquata ſunt, ex noua Iuſtiniani conſtitutione. *l. 2. C. commu. de legat.* ex qua hæc verba, per omnia, à Triboni-

boniano *ad l.1. de legat. 1.* addita sunt. Idcirco Iustinianus definitionem legati veterem immutauit, & legatum donationem esse, non testamento, sed à defuncto relictam, tradidit. Ac malè in quibusdam codicibus ad Iustinianum adijciuntur hæc verba, ab herede præstanda, quæ Theophilus Græcus interpres non agnouit, nec etiam Harmenopolus *lib.5. epitom. tit. 10.* nec libri manuscripti, vt Ludouicus Rusardus ad titulum de legatis notauit, eaque veteri iuri, non nouo, quo legatum ab herede heredis, *l. scrupulosam. C. de contrah. stipul.* & à legatario, exemplo fideicommissi §.1. Instit. de sing. reb. per. fideicom. relict. relinqui potest, conueniunt. Relinquuntur autem legata, non solùm 41 purè, sed etiam in diem & sub conditione. Et his duobus posterioribus casibus, heres legatario, ante diem vel conditionem existentem legatum præstare non tenetur: verum præstat cautionem, quòd 42 die veniente & conditione existente legatum velit soluere, *toto titulo vt legato. vel fideicom. seruando. causa caueatur.* Et hæc cautio vulgaris cautio dicitur in *l. filiusfamilias, §. ijdem principes, de legat. 1.* itemq; communis cautio *in l. creditoribus,*

C. de separa. estq́; non nuda promissio, *l. sancimus, C. de verb. sign.* & dictum est sup. *in 2. capite, in prima pact. diuis.* sed satisdatio. *d. l. 1. vt legato. vel fideicom. seruando.*

43 Quòd si inter heredem & legatarium pactum sit factum, ne heres caueat legatorum nomine, hoc pactum validum erit, & à legatario heredi remissa satisdatio per pactionem, ex pœnitentia non reuocatur, quia licet vnicuiq; sui iuris persecutionem, aut spem futuræ perceptionis deteriorem constituere, *d. l. pactum inter heredem, hoc titulo.* ibi Iurisconsultus huiusmodi pactum valere ostendit ex eo, quòd testator in testamento heredi potest cautionem remittere ex constitutione D. Marci, quæ extat *in l. 2. C. vt in possessionem legato. seruando. causa mittatur.* Cùm ergo testamento cautio remitti possit, non mirum si etiam pacto remittatur. Nonum exemplum pertinet ad edictum ædilium curulium. *l. pacisci, h. tit. n.* quod iuris honorarij portio est. *§. proponebant, Instit. de iure nat. gent. & ciui.* Quæritur an rectè etiam dicatur pars iuris Prætorij? Ita AEmilio Ferretto videtur in notis ad titulum *de iure nat. gent. & ciui. in Instit.* & VVesenbe-

44

cio

cio in Paratitlis, ad titulum *de ædil. edicto*: & illorum sententiam confirmat titulus *de diuisione stipulat. in Instit.* in quo dicitur, ædilitias stipulationes à iurisdictione Prætoris venire. Cæterùm id Iacobo Cuiatio non placet, *in l. 5. de verb. obligat.* qui ius ædilitium honorarium dici affirmat, nusquam Prætorium. Et in Institutis de diuisio. stipulat. verbum, Prætoris, suppositititium est, vt constat ex *d.l. 5. §. Prætoriæ, ex quo textus in Institut. ad verbum desumptus est de verb. oblig.* ibi ICtus inquit: AEdilitiæ stipulationes à iurisdictione veniunt, hoc est, ab edicto, non Prætoris sed ædilium *d.l. 5. §. communes*, ibi, ab ædilis edicto. Theophilus quoq; verbum, Prætoris, non agnouit. Ita enim Theophilus habet: ταυτας ἐκ τῆς τῶν ædilium ἰουρισδικτίον‹ος› ἔχειν τὴν γένεσιν συμβαίνει, quamuis Curtius contra fidem Græci exemplaris vertit, à iurisdictione Prætoris veniunt. Quamuis autem facilè Cuiatio assentior, ius ædilium curulium nusquam expressè Prætorium ius dici: tamen ius AEdilitium sub Prætorio iure comprehendi puto, propterea quòd Iurisconsultus *in d. l. 5. de verborum obligationibus* inquit, & Iu-

ſtinianus in Inſtit. *de diuiſionib. ſtipulation.* repetit, Prætorias ſtipulationes ita nos exaudire debere, vt in his contineantur etiam ædilitiæ. Et ſi ædilitiæ ſtipulationes in Prætoriis continentur, non videtur inconueniens eſſe, vt dicamus, ædilitium quoque ius ſub Prætorio iure contineri: atq; ita Pet. Fabro quoq; videtur *in l. res ex Pretorio, de regul. iur.* AEdilitium autem edictum eſt de venditionibus rerum,
45 *l. 1. in princ. de ædil. edict.* ex eoq; emptori duæ dantur actiones, quarum altera redhibitoria, altera æſtimatoria dicitur, & hæ duæ actiones in titulo de ædil. edicto ſignificantur his verbis: de redhibitione & quanti minoris. Redhibitoria actio venditionem in totum reſcindit, reddita re vendita & pretio recepto, cæterisq; omnibus reſtitutis in integrum. *l. bouem, §. aliquando, ibi. vt reddito mancipio precium recipiatur & l. facta redhibitione, de ædil. edicto.* Aeſtimatoria reſcindit venditionem in partem, reddito ſcilicet pretio emptori eo, quo minoris res eſt. Hinc æſtimatoria actio dicitur actio quanti minoris vel quanto minoris, *d. l. bouem, §. aliquando.*
46 Vtraq; verò actio competit duplici ex cauſa,

causa, ex reticentia venditoris, & ex dicto promissione. Ex reticentia, si venditor morbum aut vitium rei venditæ, quod latebat, quodq; emptor nesciebat, reticuerit. Ex dicto promissione, si dixerit abesse aliquid, quod non abest, vel adesse quod non adest, vt si dixerit furem non esse vel non fore, & fur sit vel fiat: vel si dixerit artificem esse, & non sit artifex. Ac emptoris est electio, vtra actione, redhibitoria an æstimatoria experiri velit. *l. si quid venditor, in princ. & l. quod si nolit, §. si plures, de ædil. edict.* Redhibitoria agendum est, intra sex menses. Aestimatoria intra annum. *l. 2. C. de ædil. actio.* Et si emptor, sex mensium exceptione, redhibitoria sit exclusus, intra annum, si velit, æstimatoria agere potest, *l. si tamen, §. non nocebit, de ædil. edicto.* Sanè emptor ob morbum vel vitium rei venditæ, ex empto etiam agere potest. *l. ex empto, §. redhibitionem, de actio. empti.* idq; generale est, vt qui ex empto potest conueniri, etiam redhibitoriis actionibus conueniri possit. *l. sciendum est, §. nam & qui ex empto, §. redhibitionem, de ædil. edict.* Hinc non immeritò dubitatur: ob quid actiones ædilitiæ sint introductæ,

47 48 49

ductæ, cum ob morbũ vel vitium rei venditæ dentur actiones ciuiles: & qui actionem ciuilem habet, frustra desiderat honorariam vt Vlpian. inquit, *in l. 1. de Publi. in rem actio.* & ciuilis actio melior est honoraria, *l. si creditori, de legat. 1.* quia est perpetua, hoc est, durat ad 30. annos *l. empti actio. C. de euict.* cùm ædilitiæ actiones sint temporales, vt sup. dictum est. Sic in simili Vlpianus Iurisconsultus scribit, Pomponium miratum fuisse, cur nautæ, caupones, stabularij de recepto, honoraria actione teneantur, cùm sit actio ciuilis locati vel depositi. *l. 3. §. miratur igitur, nautæ, caupones, stabularij, &c.* Cæterùm quemadmodum Pomponius tradidit, duplici de causa honorariam actionem de recepto inductam fuisse. Primùm vt innotesceret, Prætorem curam agere reprimendæ improbitatis hominum huius generis. Deinde, quia actio honoraria aliquantò durior est, quàm sit actio locati vel depositi. In locato enim culpa, in deposito dolus duntaxat præstatur: at honoraria actione tenetur qui recepit, etiam si sine culpa eius res perijt, vel damnum datum est. *d. l. 3. §. miratur igitur.* Sic nos quoq; dicemus,

mus, actiones ædilitias, redhibitoriam actionem & æstimatoriam, idcirco introductas esse, vt innotesceret, ædiles curules curam agere, ne emptores à venditoribus circumuenirentur, & quia ædilitiæ actiones duriores sunt, quàm ciuiles. AEdilitiæ namq; actiones sunt pœnales. *l. cum autem redhibitio fit, §. si seruus, de ædil. edicto.* quia nisi venditor arbitrio iudicis pareat, & pretium eum accessionibus restituat, in duplum pretii & accessionum fit condemnatio. *l. redhibitoria actio, de ædil. edicto.* Ciuilis actio pœnalis non est, nec in ea fit condemnatio in duplum, nisi euictionis nomine. *l. 2. de euinctioni. inf.* Quæritur 50
nunc, vtrum emptori actiones ædilitiæ, redhibitoria & æstimatoria, competant, cùm emptor pactus est, se ijs non vsurum? Et dicendum est, non competere. Pactio namq; facta valet, & vt Vlpianus loquitur, pacisci contra edictum ædilium curulium omninò licet, id est, licet pacisci, ne agatur actione redhibitoria vel æstimatoria, & nihil refert, siue in ipso negotio venditionis gerendo conuenisset siue postea. *l. pacisci, h. tit. n. de pactis.* Decimum exemplum pertinet ad inofficiosum testamen-

51 mentum. *l. epistola, §. ult. h. tit.* Inofficio-
sum testamentum est, quod frustra libe-
ris exheredatis, non ex pietatis officio, est
conscriptum. *Paulus in 4. senten. tit. 5.* Fru-
stra autem liberi exheredati dicuntur,
quando exheredatio non tenet, hoc est,
cùm filius immeritò & sine elogio. *l. si postu-
mus, §. ult. de liber. & postumis*, id est, sine
causa est exheredatus. Et quidem filius
docere debet intra quinquennium. *l. 2. C.
in quibus causis in integ. restitutio necessaria
non est*, immerentem se & indignè exhe-
redatione summotũ esse. *l. 5. de inoffi. testam.*
eoq; probato, rescinditur testamentũ, non
in totũ vt olim. *l. Papinia. §. fin. cum mater,
de inoffi. testam.* sed quò ad institutione tan-
52 tũ. *Nouell. 115.* Finge nunc: Filius de inoffici-
ose patris testaměto acturꝰ, vt ei certa quã-
titas, quoad viueret heres, præstaretur pa-
ctus est. Hoc pactũ valet, quia filius de iure
priuato, non de iure publico paciscitur,
& remouetur filius hoc pacto à petitione
hereditatis de infficioso. ita querela in-
officiosi testamenti appellatur. *l. qui de in-
officioso, de inoff. testam. l. si quis filium, C. eod. l.
pen. §. sed quemadmodum, de bono. possess. con-
tra tab.* Supra dictum autem pactum, per
sona-

fonale duntaxat pactum est, & ideò cum postulabatur, id pactum ad perpetuam præstationem produci, rescriptum est, neque iure vllo, neque æquitate, tale desiderium admitti. *d.l. epistola, §. vlt. h.tit.* Vndecimum exemplum proponitur *in l. eum fundum, h tit.* Posside fundum qui meus est, conuenit mihi tecum, vt eius possessionem Titio traderes: post interpositam hanc conuentionem nihilominus fundū meū à te vindico, tu me fundum à te vindicantē exceptione conuentionis siue pacti excludere potes, si aut fundum iam tradidisti, aut tua causa id inter nos conuenit, & per te non stat, quo minus traderes. Inquit Iurisconsultus, aut tua causa id inter nos conuenit: ex quibus verbis intelligimus, quòd sicuti nemo sine interesse agens auditur, *l. si patroni, § qui fideicommissariam, ibi secundum quæ, & ibi Alexander. ad Trebell. & prolixißimè traditum est à Tiraq. de vtroq. retractu, § .1. sup. verbis, à vendu, glos. 2. nu. 53. & in tractat. le mort. saisit. in 4. decl. ratio. 2. part. nu. 2.* ita nemo etiā sine interesse excipiens audiri debeat. Ostendimus hactenus, pactiones super rebus priuatis & familiaribus factas valere. Addamus nunc, hoc non solum procedere, cum 53

cùm pactiones proprium paciſcentium ius reſpiciunt, verùm etiam cum reſpici-
54 unt ius alienum. Quamuis enim ius alienum pactis lædi non poſsit: tamen pacta ſuper iure alieno facta, quatenus ipſorum paciſcentium priuatum ius concernunt, valent. Intelligitur id ex *l. inter debitcrem, h. tit. ibi agitur de tributo fiſco debito.* Fiſcus, vt id obiter attingam, non à fixo nomen habet, quemadmodum Accurſius voluit, ſed à fiſcis, id eſt ſportis, quibus pecuniæ publicæ olim aſportari concludiq; ſolebant *Aſconius Pedianus in 2. Verrina. Iſidor. lib. vlt. etymolog. c. 9.* Et ſignificat fiſcus ærarium principis. *l. 3. C. de quadrien. praeſcriptio. l. 6. C. Theodos. quorum appella. non recipiuntur.* Hinc res fiſcales quaſi propriæ & priuatæ principis eſſe dicuntur. *l. 2. §. hoc interdictum ad ea loca, ne quid in loco public. fiat.* & ob id ius fiſcale ad ius publicum ſiue commune referendum non eſt, quod tamen quidam faciunt. Ad fiſcum autem pertinent cenſus ſiue tributa. *l. 2. C. de praed. tamiacis, lib. 11.* eaq; prædiorum non hominum onera ſunt, & ideo poſſeſſorem prædiorum ſequuntur. *l. Imperatores, de publi. & vectiga.* Pone ergo: conuenit inter empto-

emptorem & venditorem, vt non emptor sed venditor censum siue tributum agnoscat, hac pactione ius fiscale non læditur, sed nihilominus emptor tributorum nomine conuenietur. *l. 2. C. sine censu vel reliquis.* Sic non valet pactio inter donatorem & donatarium, ne donatarius tributa fisco pendat. *l. 3. C. sine censu vel reliquis.* Non valet quoq; pactio inter maritum & vxorem, ne maritus censum fundi in dotem dati agnoscat, sed vxor. l. 1. C. eodem. Deniq; si inter debitorem & creditorem conuenerit, vt creditor onus tributi prædij pignorati non agnosceret, sed eius soluendi necessitas debitorem spectaret, talis conuentio, quantum ad fisci rationem non est seruanda. Pactis enim priuatorum, forma iuris fiscalis conuelli non potest. *d. l. inter debitorem, hoc tit. nostro.* Inquit ICtus, quantum ad fisci rationem, propterea quòd huiusmodi pactio, quantum ad ipsos paciscentes attinet, rata & firma est. Et ideò quod creditor tributi nomine fisco soluerit, id consequetur rursus à debitore vel per retentionem pignoris, vel per actionem pignoratitiam contrariam. *l. epistola, §. pactum, h. tit.* Sic si

conuenerit inter debitores hereditarios, vt singuli debitores hereditarij singulis creditoribus soluerent, conuentio, quantum ad ius creditorum hereditariorum, rata non est. Hac enim conuentione non obstante, possunt creditores hereditarij, de legationibusnon interpositis, à singulis debitoribus hereditariis partes petere. *l. tale pactum, §. post diuisionem, hoc tit.* ex lege quippe duodecim tabularum, obligatio inter heredes fuit diuisa. *l. heredes, §. idem iuris est, fam. hercisc.* Inter ipsos tamen debitores conuentio valet, quod non obscurè significat Iurisconsultus his verbis: Si non singuli pro fide rei gestæ totum debitum singulis offerant. *in d. l. tale factum, §. post diuisionem, h. tit.* Similiter si plures debitores hereditarij, inter quos æs alienum ipso iure *ex l. 12. tabul.* diuisum est, inter se paciscantur, vt vnus in solidum creditori obligaretur, creditor nihilominus singulos, pro portionibus hereditariis conuenire potest. *l. debitorum, l. pactio, C. de pact.* Et non valet pactio quo ad creditorem: valet tamen quo ad ipsos paciscentes, vt à Iasone notatum est in *d. l. debitorum, C. de pactis.* Nunc ad posteriorem regulam accedemus. Prius tamen pauca,

pauca, de obſcuritate & ambiguitate, quæ inter paciſcendum de rebus priuatis & familiaribus incidere ſolet, dicemus. Ad hanc rem pertinet, *l. veteribus, hoc titulo n.* in qua Iuriſconſultus 55
refert, veteribus placuiſſe pactionem obſcuram vel ambiguam venditori, & ei qui locauit nocere, in quorum fuit poteſtate legem apertius conſcribere. Idem traditum eſt *in l. Labeo ſcripſit, de contrah. empt.* in qua Paulus refert, Labeonem ſcripſiſſe, obſcuritatem pacti nocere potius debere venditori, qui id dixerit, quàm emptori, quia potuit re integra apertius dicere. Sic Pomponius inquit, in ambigua oratione id accipi debere, quod venditori nocet. *l. cùm in lege, de contrah. empt. Et in l. in contrahenda, de regulis iuris dicitur.* In contrahenda venditione, ambiguum pactum contra venditorem interpretandum eſt. Nec aduerſatur *l. in emptione, de contrah. empt.* in qua dicitur, eum Stichum deberi, quem venditor intellexerit, ſi dictum ſit, Stichum accedere debere fundo empto, nec appareat, de quo contrahentes ſenſerint. Nam ibi emptor de acceſsione Stichi dixerat,

ideoq; aduersus eum vt ambiguè locutus fit interpretatio, *vt sentit gl.* ibi, & post eam Salicetus & Fulgosius: quod tamen à Bartholo & Angelo *in d. l. veteribus, hoc titulo nostro* non placuit. Et Iacobus Cuiatius admirandæ eruditionis Iurisconsultus *in d. l. si in emptione, cùm dicitur, eum Stichum deberi quem venditor intellexerit*, censet legendum hoc modo: quem emptor intellexerit, libro primo obseruationum, capite decimo, *& in l. octuagesima tertia, de ver-*
56 *borum obligationibus.* Quemadmodum autem in emptione & venditione, locatione & conductione obscuritatem & ambiguitatem contra venditorem & locatorem interpretamur: ita in stipulationibus, cùm quæritur quid actum sit, verba contra stipulatorem interpretanda sunt. *l. stipulatio ista habere licere, §. in stipulationibus, de verb. obligat.* & ambiguitas est contra stipulatorem. *l. cùm quæritur, de reb. dubijs*, si modò per huiusmodi interpretationem stipulatio non fiat inutilis, quod si futurum est, sequimur eam interpretationem, quæ stipulationem conseruat. Quoties enim stipulationibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res, de

de qua agitur, sit in tuto. *l. quoties in stipulationibus, de verb. obligat.* & in tutissimo loco. *l. vbi est verborum ambiguitas, de reb. dub.* Hinc primis Calendis Ianuarijs pecuniam deberi dicimus, si quis Calendis Ianuariis decem sibi dari stipulatus fuerit. l. cum qui Calendis, de verb. oblig. quia aliàs stipulatio vix vtilis esset. Iam quòd ad posteriorem regulam attinet, ea talis est: De iure publico pacisci non possumus. Aut, vt ICtus inquit, ius publicum pactis mutare non possumus. l. ius publicum h. tit. Ius publicum aliàs ius commune dicitur. *l. iurisgentium, §. & generaliter, hoc tit.* aliàs ius solenne. *l. nec ex Prætorio, de regul. iur.* aliàs ius ciuile. *l. illud conuenire non potest, de pactis dotalibus.* & comprehendit leges, plebiscita, & reliquas species iuris ciuilis scripti. *d. l. iuris gentium, §. ait Prætor, h. tit.* itemq; bonos mores. *d. l. pacta quæ contra leges, C. de pactis.* Et pacta, quæ fiunt contra leges, plebiscita, SCta, principum placita, magistratuum edicta, & denique contra bonos mores, non valent, quia fiunt contra ius publicum. *d. l. ius publicum, d. l. nec ex Prætorio, & l. neq; pignus, 1. §. fin. de reg. iur. l. cerdonem, de operis liber-* 57

to. d. l. iuris gentium, §. & generaliter, h. tit. ibi ICtus Vlpianus ita inquit: Generaliter quoties pactum à iure communi remotum est, seruari hoc non oportet, nec legari, nec iusiurandum de hoc adactum ne quis agat seruandum, Marcellus scribit, & si stipulatio sit interposita de his, pro quibus pacisci non licet, seruãda non est, sed omnimodò rescindenda. Pactum à iure communi remotum dicitur, quod contra leges, contra ius commune, solenne vel publicum ius est factum, idq; Constantinus Harmenopulus *lib. 1. epitom. tit. 9. & reliqui Græci in Synopsi basilicon. lib. 11.* pactum παρὰ τὰ κοινὰ νόμιμα interpretantur: Huiusmodi pactum non valet. Nam & legatum contra ius commune relictum inualidum est l. si quis inquilinos, *§. pen. de legat.* quia nemo potest in testamento suo cauere, ne leges in suo testamento locum habeant. *l. nemo potest, de legat. 1. l. 5. §. Iulianus, de admi. tuto. l testandi, C. de testamen.* Et hoc Vlpianus vult significare in *d. l. iuris gentium, §. & generaliter, h. tit. n. his verbis: nec legari*: Duarenus pro, nec legari, censet legendum esse, nec ligat, hoc modo: quoties pactum à iure communi
remotum

[illegible] est, seruari hoc non oportet, nec legat. Cæterùm huic lectioni non modò Pandectæ Florentinæ, verùm etiam vulgati codices repugnant. Imò etiam Græci interpretes, qui legandi verbum agnouerunt. Nam Constantinus Harmenopulus *d. lib. 1. epitom. titulo nono.* & reliqui Græci *lib. 11.* basilicon, dictû §. & generaliter ita verterunt: παρὰ τὰ κοινὰ νόμιμα, συμφωνῶν οὐκ ἔξεστιν, οὐδὲ λεγατεύσιν. hoc est, contra iura communia non licet pacisci, nec legare. Adijcit Vlpianus, nec iusiurandum de hoc adactum, ne quis agat, seruandum, Marcellus scribit. His verbis Vlpianus significat, iuramentum quoque non valere, si quis contra leges, iuramento se, quòd agere non velit, astrinxerit, vt si quis iureiurando promiserit, se furti vel iniuriarum non acturum contra Titium, si Titius furtum vel iniuriam fecerit, iuramentum non valet. Sic iusiurandum contra vim legum & authoritatem iuris in testamento scriptum nullius est momenti. *dicta l. si quis inquilinos, §. fin. de legat. 1.* In testamento verò contra leges iusiurandum scribi-

N 4 tur,

tur,si heredi vel legatario iniiciatur conditio quæ sit contra leges, vt: si heres vel legatarius iurauerit se sororem ducturum. Hæc conditio iurisiurandi nullius est momenti,quia est contra leges, idq; est ex constitutione Diui Seueri & Antonini. *d.l.si quis inquilinos, §.fin.de legat.*1. Deniq; stipulatio,quæ fit contra ius publicum, non valet,*d.§.& generaliter*. Sed nunc exempla aliquot pactorum,quæ contra le-
58 ges fiunt, referemus. Inter illa primum locum obtinet pactio, quæ fit de futura
59 hereditate. Hereditas est successio in vniuersum ius,quod defunctus habuit.*l.hereditas,de reg. iur.l nihil aliud,de verb. signif.* Successio,hoc est, ius succedendi. Hereditas enim vniuersitatem quandam ac ius successionis,non singulas res demonstrat *l. bonorum appellatio,de verb.sign.*& iuris nomen est. *l.3.§.hereditatis,de bono. possess.* & in iure consistit. *§. incorporales, Instit. de reb. corporal. & incorpora.* & sine vllo corpore iuris intellectum habet. *l.hereditas,de petition.heredita.*Cicero tamen in Topicis, hereditatem aliquantò pinguius pro rebus ipsis & corporibus hereditariis accepit,dũ hereditatem definit pecuniam,quæ mor-
te

:e alicuius ad aliquem peruenit. Sic quoque Seneca *lib. 6. de beneficiis, c. 5.* hereditatem ab iis, quæ in hereditate sunt, non esse distinguendam arbitratur. Istæ, inquit, Cæterum acutæ nugæ sunt, qui hereditatem negant vsucapi posse, sed ea quæ in hereditate sunt, tanquam quicquam aliud sit hereditas, quàm ea quæ sunt in hereditate. Hereditas autem vel testamen- 60
to nobis defertur, vel ab intestato. *§. fin. Inst. per quas personas cuiq; acquiritur*: pactis deferri non potest. *l. cum donationis, C. de transact.* Si ergò conuenerit vt filia, quæ nuptum collocatur, patri succedat ex semisse vel etiam ex besse, conuentio non valet, quia est contra leges. *l. pactum quod dotali, C. de pactis.* Sic non valet conuentio, si filius pactus fuerit, quòd certis rebus contentus esse, & querela inofficiosi testamenti agere non velit. *l. si quando, §. illud etiam, C. de inoffi. testamen.* Non valet quoq; huiusmodi conuentio, si me heredem non feceris, centum dabis. *l. stipulatio hoc modo concepta, de verb. obligatio.* Deniq; non valet conuentio, si filia pacta sit, se dote contentam fore, nec vllum regressum ad bona paterna habituram. *l. vlt. de suis & legitimis.*

61 *timis, l. 3. C. de collatio.* Hanc tamen postremam conuentionem Pontifex sustinet, si filia mediante iuramento promiserit, se fore contentam dote. Ita enim Bonifacius octauus inquit: Quamuis pactum patri factum à filia, dum nuptum tradebatur, vt dote contenta, nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex ciuilis: si tamen iuramento non vi nec dolo præstito firmatum fuerit, omnino seruari debebit, cùm non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum, cap. quamuis. *de pactis in 6.* Requirit Pontifex iuramentum pro forma. Non itaque sufficiet, si filia loco iuramenti promiserit, se nihil amplius
62 ex bonis paternis petituram. Forma enim, quæ dat esse rei, seruanda est ad vnguem, aliàs actus est nullus, l. cùm hi, §. si Prætor, de transactio. *l. certa forma, C. de iure fisci, lib. 10.* Et omissio formæ, etiam in minimo, totum vitiat. *Baldus in l. 1. de liberis & posthumis.* Nam formæ nihil adimi aut detrahi potest. *Baldus in l. vlt. col. 2. C. de suis & legitimis*, eaque indiuidua est, vt idem Baldus ait *in l. certi conditio, §. quoniam, si certum peta.* Et ita seruari debet forma,

ma, vt à iure præscripta est, nec sufficit eam seruasse per æquipollens. *Bartol. in l. non sunt liberi, de statu homi. Bald. Angel. & communiter Dd. in l. 1. & 2. de vulga. & pupilla.* Deniq; non seruata forma in aliquo actu, præsumitur dolus, mala fides & fraus. *gloß. in l. 1. C. de iure hastæ fisca. libro 11. Tiraquellus de vtroque retractu lib. 2. §. 4. gloß. 6. num. 31. & rursus glo. 7. num. 15. Idem in tractatu, de iudicio in rebus exiguis ferendo, folio 51.* Exigit quoq; Pontifex, quòd iuramen- 63
tum non vi præstitum fuerit iuramentum quidem vi siue metu præstitum, quamuis vis iuri contraria est, Cicero pro domo sua, & iuri maximè aduersaria & inimica, vt idem pro Cæcinna author est, obligat. c. verum, de iureiurando, eaq; communis est Doctorũ sententia, quemadmodũ Imola testatur *in d. c. verum.* & reliqui Canonistæ *in c. si verò, eodem. Couarruuias in d. c. quamuis, in relectione tertia partis, §. quarto, nu. 2. versi. vigesimo secundo constat.* Et ratio est, quia 64
etiam in his, quæ vi vel metu fiunt, est voluntas. *l. si mulier, §. pen. l. item si cum exceptione, §. qui vim intulit, quod metus causa, l. interpositas, C. de transactionibus.* Voluntas inquam remissa non etiam inte-
gra,

gra, de qua accipienda est. *l. nihil consensui,*
65 *de reg. iur.* Et hoc, quod iuramentum vi siue metu præstitum obligat, verum est, quando iuramentum interponitur super conuentionibus iure ciuili non prohibitis. Si iuramentum vi vel metu præstitum interponatur super eo, quod iure siue lege est prohibitum, tunc obligatoriũ non est, vt, lege prohibetur pactio per quam filia futuræ hereditati renuntiat. *l. 3. C. de collationibus,* & ideò huiusmodi pactio non roboratur iuramento vi vel metu præstito. *d. c. quamvis, in 6.* Sic dotis alienatio etiam muliere consentiente est prohibita. *§. 1. Instit. quib. alienare licet vel non. l. vnica, §. Et cùm lex Iulia, C. de rei vxoriæ actione*, & ob id dotis quoq; alienatio iuramento vi præstito, confirmari non potest. *c. cùm contingat, de iureiur. & c. licet, de iureiur. in 6.* atq; ita eleganter tradidit Felinus *in c. peruenit, 1. nu. 2. extra de iureiur. Panormita. in c. cùm contingat, nu. 3. Couarruuias in d. c. quamuis, de pact. in 6. in 3. parte relectionis, §. quarto. num. 2.* Hoc amplius Pontifex requirit, vt à renuntiatione iurata, quam filia dote accepta facit, absit dolus. Si enim filia dolo inducta iurauerit, se dote contentã fo-

re,

re, nec vllum ad bona paterna regressum habituram, renuntiatio non tenet. d. c. quamuis, de pact. in 6. Sed de dolo in sequenti capite plura dicemus. De eo quæritur, an dispositio d. c. quamuis, quæ ad l 3. *C. de collatio.* pertinet, trahi quoque possit ad l. pactum quod dotali, *C. de pactis*, ita scilicet vt pactum de succedendo, de quo agitur *in d. l. pactum quod dotali, C. de pactis*, iuramento confirmetur, sicut iuramento confirmatur pactio de non succedendo. Et quamuis Baldus *in c. vnico, §. moriens, si de feudo fuerit controuersia inter dominum & agnatum Vasalli*, censuerit, *pactum de succedendo, de quo d. l. pactum quod dotali, loquitur*, iuramento confirmari posse, eamq; sententiam probet Decius *in d. l. pactum quod dotali*, & nouissimè Couarruuias *in d. c. quamuis, in initio relectionis tertia partis nu. 2.* tamen gloss. *in l. si quando, §. illud, in verbo, grauari. C. de inoffi. testamento. & in d. l. 3. C. de collationibus.* tradidit, huiusmodi pactum iuramento non confirmari: eamque gloss. Baldus, Fulgosius & Paulus de Castro secuti sunt *in d. l. 3. C. de collationibus.* Barto. Paulus de Castro & Alexander *in l. stipulatio hoc modo concepta, de* 66

de verb. oblig Aluarottus *in d c. vn. §. moribus.* vbi Baldum contrarium tenentem reprehendit, si de feudo controuersia fuerit inter dominum & agnatum Vasalli. & hæc est communis sententia, quemadmodum prolixè ostendit Tiraquell. in tractatu de iure primigeniorum, *quæst. 6. num. 18.* eamq; veram esse censeo, propterea, quòd pacta quæ de succedendo fiunt, plurimum distant à pactis, quæ fiunt de non succedendo.
67 dendo. Pacta de succedendo ideò non valent, quia liberam testamenti factionem adimunt. *d. l. pactum quod dotali, C. de pact.* nec ambulatoriam sinunt esse voluntatem vsq; ad extremum vitæ exitum. *l. cùm hic status, §. pœnitentiam, de donatio. inter virum & vxo. l. 4. de adimendis vel transferend legat.* cùm tamen nihil sit, quòd magis hominibus debeatur, quàm vt supremæ voluntatis, postquam aliud iam velle non possunt, liber sit stylus, & licitum quod iterũ non redit arbitrium. *l. 1. C. de sacrosanctis Ecclesiis.* In illa lege Constantinus Imperator permittit omnibus, vt Collegiis Christianorum legare poßint, quib. ante Constantinum legari non potuit, non tanquam illicitis, sed quia complures instin-

ctu

ſtu ſacerdotum bona ſua Eccleſiæ & collegiis dabant: eius rei prohibendæ & auaritiæ ſacerdotum coërcendæ gratia conſtitutum fuit, ne collegus Chriſtianorum legaretur. Ad illam conſtitutionem Diuus Hieronymus de vita clericorum reſpiciens inquit: Non conqueror de lege, ſed doleo quòd legem hanc meruerimus. Prouida ſeueraq; legis ſanctio,& tamen ne ſic quidem refrenatur auaritia,Iacob.Cuiat. *lib.7.obſeruatio.cap.30.* Conſtantinus poſtea *per d.l.1.C.de ſacroſanct.Eccleſiis.*d. conſtitutionem rurſus ſuſtulit. Pacta de non ſuccedendo non adimunt teſtamenti factionem,nec eam ob cauſam improbantur, ſed idcirco non valent, quòd filiam, quæ ſpe futuræ hereditatis pietatem erga parentem exercet, *l.parentibus,C. de inoffi. teſtament.*& debitum obſequium iugiter parentib.adhibet. *l.liberi.C.eod.* ingrata erga parentem non eſt *l.omninò,C.eod.* iiſq; meritis ad paterna obſequia prouocatur. *l. ſi quando,§.illud etiam, C. eodem.* à pietate & obſequiis,quæ parenti præſtare tenetur, quodamodo auocant: atq; ita Caſtrenſis *in d.l. 3. C. de collat.* cenſuit. Sed quia filia portio eſt corporis paterni, quemad-

68

modum

modum expositum est, c. 4. sup. & verisimile est eam parenti debitam pietatem exhibituram, quamuis successuram se non speret, ideò Pontifex pactum, quo filia futuræ hereditati renuntiat, probauit, si pactum iuramento confirmatum fuerit. *d. c. quamuis, de pactis in 6.* Illud autem pactum, quòd de succedendo fit, non probauit. Nec dictum, c. quamuis propter eam, quam dixi, dissimilitudinem, ad huius generis pactum extendi potest, maximè cum legum correctionem inducat, quæ vitanda est. *l. præcipimus, C. de appellatio.* Et sic iura noua interpretari debemus, vt quàm minimè lædant iura communia. Bald. & Dd. *in l. 2. C. de noxali.* & correctoria de vno casu, ad alium non porriguntur, etiamsi eadem aut etiam maior fuerit ratio *gl. in Authentica, quas actiones, C. de sacrosanctis Ecclesiis, & gl. in c. in fidei, in verbo, inquisitionis, de hæreticis, lib. 6. cum multis concordantiis collectis a recentioribus, in d. authent. quas*
69 *actiones, C. de sacrosanctis Ecclesiis.* Ex his igitur relinquitur, pactiones super hereditate futura factas non valere. Nec obstat *l. t. l. cùm proponas, C. de pactis & l. de fideicommisso, C. de transactio.* In illis enim legibus de

de fideicommissaria hereditate agitur, de qua pactiones factæ ideò valent, quod improbabile votum captandæ mortis alterius tollunt. *d.l.de fideicommisso,C. d.transaction.* Non obstat quoq; *l.licet,C.de pactis.* Nam ea lex ad milites pertinet,inter quos pactum περὶ ἀλληλοκληρονομίας, vt Constant. Harmenop *lib.1. epit. tit. 9.* loquitur, hoc est,de mutua & vicissitudinaria successione toleratur, si eo tempore quo ad discrimen prælij pergunt factum fuerit: idque Græci ita breuiter exponunt στρατιῶται ἐπὶ παράταξιν ἐξιόντες ἰσχυρῶς περὶ τῆς ἀλλήλων διαδοχῆς συμφωνοῦσι. hoc est, milites procedentes in aciem rectè de mutua successione paciscuntur, Harmenop. *d. lib.1. epitom. tit. 9.* & reliqui Græci in synopsi basilicon. lib. 11. Rursus non obstat. *l. vlt. C. de pactis.* Licet enim ibi pactio de alterius adhuc viuentis hereditate facta valet,si is de cuius bonis agitur consenserit,& pactionem approbauerit: tamen ex eo non rectè infertur, de futura hereditate pacisci licere, propterea quòd *d. l.vlt.* vna est ex quinquaginta nouis decisionib. quas Iustin. secundæ Codicis editioni inseri iussit,& ob id strictis-

O simè

ſimè in ea tantum ſpecie, in qua loquitur, intelligenda eſt,& ad alias ſpecies non eſt trahenda. Non obſtat item *l. quidam cùm filium, de verb. oblig.* in qua hæc conuentio ſi me vel filium meum exheredaueris, centum dabis, valet. Nam dicta conuentio non apertè, ſed tacitè hereditariam ſucceſsionem inducit,& ideò rata ac firma eſt: & multa quæ expreſſè fieri non poſſunt,tacitè facta valent. *l. ſi quis Sempronium,de heredibus inſtituen.l.nonnunquam contingit, de conditionibus & demonſtrat. l. ſi ita legatum ſit, de legatis. 1. l. expreſſa, de regul. iur.* maximè cùm iuſta & rationabilis ſubeſt cauſa ,vt in propoſita conuentione, quæ non tàm ob id, vt quis ſuccedat, fieri videtur, quàm vt exheredationis notam effugiat. Exheredatio enim nota quædam eſt. *l. multi non notæ, de liberis & poſtumis,l.cùm te pietatis,C.de inofficioſo teſtamento.* Hoc amplius non obſtat. *l. 3.§.1.& 2. pro ſocio.* Nam ibi ſocietas, non de alicuius certi hominis hereditate vel ſucceſsione, ſed generaliter coitur,hoc modo. Si qua iuſta hereditas alteri obuenerit,communis erit,& ita coita ſocietas valet,& hereditas legitima poſtea acquiſita,

ſita, communioni acquiritur. *d. l. 3. pro ſocio.* Non obſtat ſimiliter, *l. 11. de hereditate vel actione vendita.* Etenim ibi non agitur de ſpe hereditatis futuræ, ſed de ſpe hereditatis iam delatæ. Ideoq; non dicitur ſimpliciter ſpes, ſed quaſi ſpes: & emptor emit ſpem hereditatis, ignorans quid quantumúe ſit in hereditate. Hoc amplius non obſtat. *l. 2. §. illud poteſt quæri, de hereditate vel actione vendita.* Nam cùm Vlpian. ibi docet, in venditionem hereditatis etiam venire hereditatem impuberis, cui venditor ſubſtitutus erat, ſi hoc actum ſit, maximè ſi iam delata impuberis hereditate venierit hereditas, particulam maximè non ita accipere oportet quaſi aliàs, & non delata impuberis hereditate idem non ſit, ſed quaſi aliàs idem non ſit, vt maximè tantundem valeat, quod vtiq;. Et ſenſus hic erit: vendita hereditate venit in venditionem etiã hereditas impuberis, ſi hoc actũ ſit, maximè, hoc eſt, vtiq; ſi iam delata fuerit hereditas, & ita voculam, maximè, cum in hoc, tum in aliis multis iuris locis accipi Barnabas Briſſonius. *lib. 11. de verb. ſignificat.* eleganter tradidit. Aliàs maximè ſignifi-

cat, aliàs idem esse, vt cùm in l. 5. *C. de rescindenda venditione* dicitur, bonam fidem in bonæ fidei contractibus maximè exigi, hoc dicitur, in omnibus contractib. & bonæ fidei & stricti juris bonam fidem desiderari, sed maximè tamen in contractibus illis, qui à bona fide nominantur. Non obstat. *l. iuris gentium, §. penult. h. tit.* ibi enim filiusfamilias, qui viuo patre paciscitur cum creditorib. paternis, ne fortè vltra dimidiam partem petant, doli exceptionem habet, aduersus creditores, quia paciscendo non minuit bona parentis adhuc viuentis, sed potius bona exonerat, & idcircò id genus pacti toleratur. Non obstat *l. si quis seruum, de actio. empti.* Quod enim ibi disponitur, eum qui seruum vendidit & posteà manumisit, emptori cauere debere, se restituturum quicquid ex hereditate liberti ad se peruenerit, hoc fit necessitate venditionis præcedentis, contra cuius fidem venditor fecit, seruum manumittendo, & ideò meritò dictam cautionem præstat. Sic maritus, qui seruum dotalem manumittit, cauet vxori se restituturum, quicquid ex bonis liberti ad eum peruenerit. *l. si constante,*

§. si

§. *si vir, solut. matrim.* quia licet seruus dotalis in bonis mariti sit, mulieris tamen est. *l. quamuis, de iure dotium.* Non obstat, quòd consuetudine hereditaria succesio inducitur. *c. vn. de natura successio. feudi. c. vn. de successio. feudi.* Nec enim inde rectè infertur, pacto quoque induci succesionem hereditariam posse, cùm consuetudo fortior sit pacto, & valeat vbi pactum valere non potest. *Bald. c. vn. §. filij nati, si de feudo fuerit controuersi. inter domi. & agna.* quod dictum refert & sequitur Decius *con. 225. col. 2. Crauetta con. 4. num. 14.* Consuetudo quippe tacito totius populi consensu, *l. de quibus, de legibus.* & diuturno populi vsu inducitur. *l. diuturna, eod.* ac firmatur contradictorio aliquando iudicio. *l. cùm de consuetudine, de legibus.* Pacta fiunt inter priuatos. Non obstat, quòd pater est heres filij emancipati, ex contractu fiduciæ. *§. fin. Instit. de legitim. agnato. successio.* quia pater expresis verbis id non agit, vt filio succedat. Imò proxima causa, quòd pater filio emancipato succedit, est manumisio: remota, fiducia: & pater non aliter manumittere potest, quàm si fiduci-

am contraxerit. Fiducia autem nihil aliud est, quàm redhibendi vel reuendendi lex venditioni apposita. Quod vt rectius intelligatur sciendum est, patrem olim non aliter filium potuisse emancipare, quàm si ter filium vendidisset, & quidem seriò, vt Dionysius Halycarnassæus narrat. Nam manumissus ab emptore primò, in patris potestatē recidebat, idemq; fiebat, si rursus venditus & manumissus esset. Post tertiam verò venditionem, secuta manumissione, filius patris potestate exibat, & sui iuris fiebat. Et hoc totum lege duodecim tabularum cautum fuit, his verbis: Si pater filium ter venundauit, filius à patre liber esto. *Vlpian. in fragm. tit. 10.* ac fuit hæc lex, vt Halycarnassæus scribit, *ἐν τετάρτῃ τῶν λεγομένων δωδεκαδέλτων, ἃς ἐνέθεσαν ἐν ἀγορᾷ.* Quia verò lex duodecim tabularum nimis erat dura, ideo interpretatione prudentum sic posteà mollita est, vt triplici mancipatione & manumisione intercedente, filius è patris potestate exiret. *Vlpian d. tit. 10.* Porrò solebat pater, qui filium suum emancipare volebat, & idcirco ter vel seriò vel imaginariè illum vendebat, venditioni hanc legem

legem aſcribere,vt filius tertiò venditus, ſibi ab emptore reuenderetur, idq; ideo faciebat,vt per manumiſsionē,iura legitimæ ſucceſsionis ſibi acquireret. *Caius lib. 1.Inſtit.t.6.* Hic igitur à parente poſtea manumiſsus dicebatur contracta fiducia manumiſſus.Hodie emancipationes ſemper contracta fiducia fieri intelliguntur. *l. fin.C.de emancipatio.libero. & d.§. fin. Inſtit. de legitima agnat.ſucceſ.* Non obſtat Nouella Leonis 19.cuius verba,vt latinè reddita ſunt,quia venuſta ſunt,ſubijciam: Statuimus,inquit Leo, vt nemo parentum iura filiorum, quibus cum reliquis liberis, æqualem hereditatis portionem ſeruatum iri in nuptialibus contractibus ſpoponderint,innouare tentet. Ac ſi quis pactiones ſuas aſpernari, & illius, cui tantundem, quantum alij fratres habituri eſſent, promiſerit, portioni detrahere compertus fuerit, ſciatis,pœnitentia mutatam voluntatem, inualidam atq; vanā habendam. Ex æquo enim cum alijs fratribus, ſecundum initum pactum, filius in bona ſuccedet. Neq; verò mendacium veritati præferri vlla ratio patitur, neque pacta conuenta per improbationem a-

dulterari æquum eſt, neque rationabile animal id facere conuenit. Hæc Nouella Leonis, vt dixi, nihil obſtat, quia temporis ſucceſſu in deſuetudinem abiit.

70 Nunc antequam ad alia pactorum exempla, quæ contra leges fiunt, progrediamur, notandum eſt, pactum in contractu matrimonij inter virum & mulierem factum, vt altero ſine liberis mortuo, defuncti bona ad ſuperſtitem perueniant, valere, Ita enim à Cyno traditum eſt. *in l. ſi pater, C. de inoffícioſo teſtamento.* & Cynum Baldus, Salicetus, & Paulus de Caſtro ibi ſecuti ſunt. Hyppolitus de Marſiliis ſingulari trecenteſimo triceſimo tertio, incipiente, pactum de futura ſucceſsione. Chaſſanæus in conſuetudinibus Burgundiæ, rubrica quarta, §. ſeptimo, ſuper verbis, *conſtant leur mariage.* numero ſexto. Et hanc ſententiam aſſeſsores ſupremæ curiæ probârunt. Mynſingerus obſeruatione triceſima tertia, in ſecunda centuria.

71 Valet autem huiuſmodi pactum ex recepta interpretum ſententia potius, quàm ex ſcripti iuris ratione, vt perſpicuè probat. *l. hereditas, C. de pactis conuentis.* & videre licet ex l. licet, *C. de*

de pactis. in qua ab Imperatoribus est rescriptum: Inter priuatos huiusmodi scriptum, quo comprehenditur, vt is qui superuixerit alterius rebus potiatur, ne donationis quidem mortis causa gestæ efficaciter speciem ostendere. Hinc quoq; complures interpretes dictam pactionem, tanquam iuri contrariã, non admittunt. *Tiraq. in tracta. de iure primigenio. quæst. 6. num. 24.* Et frustra nonnulli inter pactionis verba, vtrum iuris hereditarij significatiua sint an non, distinguunt. Chassan. in loco suprà dicto. *Ferrariensis practicus in forma libelli, in causa societatis, supra verbum societatem omnium bonorum, num. 7. & 8.* Nam etsi dictum fuerit, eum qui superuixerit heredem esse aut succedere debere, pactio ex multorum sententia valet. *Masuerius in practica sua in titulo de societate. num. 5. & rursus num. 20. Idem in titulo de successionibus, & vltimis voluntatibus. num. 57. Benedictus in repetitione c. Raynutius, in verbo, duas habens filias. nu. 198. vbi id dicit de consuetudine probari ex. de testam. ex quo id refert Tiraq in tractatu de iure primigen. d. quæstio. 6. num. 8. Mynsingerus in 5. decade responsorum iuris, responso 49.*

num. 3. Et *Imperatores in d. l. hereditas, C. de pactis conuentis. & in d. l. licet, C. de pactis* non hereditatis aut succesſionis nomine, ſed his verbis, bona ad eum pertineant, vel alterius rebus potiatur, vtuntur. & pactionem dictis verbis conceptam
72 valere affirmant. Quemadmodum autem pacta viciſsitudinaria ſuper futura ſucceſsione, inter coniuges ſuſtinentur: ita quoque ſuſtinetur inter coniuges donatio mutua, reciproca, & viciſsitudinaria, quemadmodum prolixè à Tiraq. *in l. ſi vnquam, ſup. verbis, donatione largitus, num. 110. cum multis ſeqq.* traditum eſt, & apud Mynſingerum *dicta obſeruatione 33. in 2. centuria.* & in ſingularibus Hyppoliti de Marſiliis. *ſingulari 50.* videre eſt. Secundum exemplum pacti contra leges initi proponitur *in l. epiſtola, in princ. h. tit.* idque ad petitionem hereditatis pertinet.
73 Petitio nihil aliud quàm vindicationem ſignificat. *l. actionum, de obligatio. & actio.* Et hereditatem petit, qui ius hereditarium ſe habere aſſerit, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato, vel veteri vel nouo iure, vel per ſe vel per alios. *l. 1. 2. & 3. adeoq; toto titulo de hereditat. petitio. in Pandectis &*

C. Et

C. Et datur petitio hereditatis tantùm 74
in eum, qui pro herede vel pro possesso-
re posſidet. *l. regulariter, de petitio. heredita-
tis. l. 7. C. eodem. l penulti. C. in quib. cauſ. ceſſat
longi temporis præſcipt.* Pro herede poſ-
ſidet, primùm qui pûtat ſe heredem eſ-
ſe, vt: ſi quis teſtamento ſit heres ſcri-
ptus, & teſtamentum ſit ruptum, id-
que poſſeſſor ignorat, dicitur pro he-
rede posſidere l. pro herede posſidet, de
petitione hereditatis. Deinde pro here-
de etiam posſidet, qui ſcit ſe heredem
non eſſe, & tamen falsò ſe heredem pro-
fitetur, atque ita de hereditate cum acto-
re contendit. *d. l. pro herede poßidet.* Pro
poſſeſſore poſsidet fur & prædo, qui nul-
lam cauſam poſſeſsionis poteſt dicere.
l. nec vllam, de petitione heredi. ſed interro-
gatus cur posſideat, reſpondet, quia
posſideo, atque ita interrogationem ver-
tit in reſponſionem, quaſi petito princi-
pio, nec contendit ſe heredem, vel per
mendacium. *l. qui interrogatus, de heredi-
tatis petitione.* In eum, qui pro empto- 75
re, pro legato, pro donato vel quo alio
titulo posſidet, petitio hereditatis non
datur, quia inter eum qui hereditatem
petit

petit & huiusmodi possessorem, lis non potest constare. Is enim qui hereditatem petit, potest esse heres, & alter qui pro emptore, legato vel donato possidet, potest esse emptor, legatarius vel donatarius. Et si actor dicat, se heredem esse, reus, se esse emptorem, nulla hinc lis manabit. Vt sit lis, necesse est, vt quod sibi vindicat actor, id contrà sibi vindicet reus. Hoc autem tunc duntaxat fit, cùm reus dicit, se pro herede possidere, vel se possidere pro possessore. Nam & hic, qui hereditatem petenti dicit, se pro possessore possidere, de hereditate litigat & contendit, & perinde est atque si diceret, se heredem esse. Pone nunc: Titius epistola cauit, Sempronium sibi coheredem esse: quæritur, vtrum Sempronius, per huiusmodi Titij epistolam vel cautionem sit coheres effectus, ita vt petitionem aduersus possessorem rerum hereditariarum instituere possit, Vlpianus *in d. l. epistola, hoc titulo.* docet, epistolam Titij heredis Sempronium coheredem non fecisse. Per epistolam pactionem intelligit. *l. 2. hoc titulo. & dictum est sup. in prima pactorum diuisione.* Pactionibus autem nemo heres constitui-

ſtituitur, vt paulò ante dictum eſt, & ideò ex pactione heredis, Sempronius petitionem nullam aduerſus poſſeſſorem rerum hereditariarum habet. *d. l. epiſtola.* Ter- 76
tium exemplum ſumi poteſt ex titulo de donationibus inter virum & vxorẽ. Donationes inter virum & vxorem moribus ſunt prohibitæ, ne mutuo amore coniuges ſe ſpolient, donationibus non temperantes, ſed profuſa erga ſe facilitate vtentes. *l. 1. 2. & 3. C. de donationib. inter virum & vxorem.* Hinc ab Vlpiano traditum eſt, quod vxor viro, aut vir vxori donauit, pro poſſeſſore poſsideri. *l. quod vxor, de acquir. poſſeßione.* hoc eſt, mala fide. Titulus enim pro poſſeſſore, malæ fidei titulus eſt: & fures ac prædones pro poſseſſore poſsident, vt ſuperius dictum eſt. Si igitur maritus cum vxore pactus ſit, ſe donaturum vxori, addita certa pœna ni donauerit, pactum, vtpote contra ius commune factum, inualidum eſt. *Conſtantin. Harmenop. lib. 1. epitom. titulo nono.* Sed etſi ita conuenerit, ne ob res donatas agatur, pactum ſeruandum non eſt, quoniam hoc pacto, inquit Iuriſconſultus, ius ciuile, quod donationes inter virum &

vxo-

vxorem prohibet, impugnatur. *l. illud*
77 *conuenire non potest, de pactis, dotalib.* Hodie ex Iustiniani constitutione donationes inter virum & vxorem, morte viri vel vxoris confirmantur. *l. donationes, C. donatio. inter virum & vxorem.* Sic inter virum & vxorem mortis causa donationes receptæ sunt, quia in hoc tempus excurrit donationis euentus, quo vir & vxor esse desinunt, sed interim res non statim fiunt eius, cui donatæ sunt, sed tunc demum cùm mors insecuta est, & medio tempore dominium apud eum remanet qui donauit. *l. si eum, §. vlt. cum duabb. ll. seqq. de donatio. inter virum & vxor.* Deniq; donationes inter virum & vxorem iuramento firmantur, ex receptiori interpretum sententia, vt apud Grabrielium Romanum. *l. 3. de donatio. conclusio. 3.* videre licet, & meminit Mynsingerus *obseruatio. 33. in 2. centu.* Quartum exemplum ad diuortia referemus, quæ iure ciuili Romano semper libera fuerunt.
78 Et quamuis ab vrbe Roma condita tanta fuit matrimoniorum concordia, vt vsque ad quingentesimum & vicesimum annum, nullum diuortium inter virum & vxorem intercesserit, & primus Spurius Carbilius

us vxorem sterilitatis causa dimiserit, *Gellius lib 17. c. 21. Valerius lib. 2. c. 1. Tertullianus in apologetico*: tamen postea adeò fuerunt frequentia diuortia, vt à quibusdam mulieribus non Consulum, sed maritorum numero annos computari, *Seneca lib. 3. de beneficiis, cap. 16. conqueratur. Et Martialis lib 6. Epigramma.*

Iulia lex populis ex quo, Faustine, relata est,
Atq; intrare domos iussa pudicitia:
Aut minus aut certè plus quàm vigesima lux est,
Et nubit decimo iam Thelesina viro.

Ac fiebant diuortia his verbis: res tuas tibi habeto, res tuas tibi agito. *l. 2. de diuortiis & repudiis.* quod & Cicero *in 2. Philippica* ostendit inquiens: Mimam exegit, res suas sibi habere iussit, ex duodecim tabul. Et Martialis *lib. 4.* Epigram.

Mense nouo Iani veterem Proculeia maritum
Deseris, atq; iubes res sibi habere suas.

79 Pacta ergo, ne liceat diuertere, tanquam legibus contraria & libertatem matrimonij impedientia non valent. *l. 2. C. de inutil. stipulatio. l. si ita stipulatio facta fue-*

fuerit, de verbo. obligatio. Quintum exem-
80 plum ad fideiussores spectat. Fideiusso-
res singuli in solidum tenentur, sed ex epi-
stola D. Hadriani inter eos obligatio di-
uiditur, quemadmodum expositum est
supra in tertia pactorum diuisione. Hoc
ipsum & edicto perpetuo comprehensum
fuit, sicuti Paulus author est *in 1. senten-
tia. lib. 20. de fideiussore.* Et hæc diuisio
non fit ipso iure. *l. inter fideiussores, de fide-
iussoribus.* sed opposita exceptione ex epi-
stola Diui Hadriani. Fideiussor enim con-
uentus postulare debet, vt solus non con-
ueniatur, sed vt diuidatur actio inter fi-
deiussores qui soluendo sunt. *l. fideiussor,
C. de fideiussori.* Et si fideiussor hanc ex-
ceptionem non opposuerit, in solidum
condemnabitur. *Andreas Geil in practi.
obseruat. lib. 2. obseruat. 27. num. 5. & obser-
uat. 46. num. 18.* Vtitur autem hac exce-
ptione fideiussor, etsi nominatim in obli-
gatione dictum fuerit, vt fideiussores sin-
guli in solidum tenerentur. Ea namque
conuentio conditionem iuris & constitu-
tionem immutare non potuit. *l. 3. C. de fi-
deiusso.* Quin imò cùm ipso iure singuli fi-
deiussores in solidum teneantur, dubita-
tionis

tionis tollendæ causa, dicta conuentio facta videtur. Et quæ dubitationis tollendæ causa contractibus inferuntur, ius cómune non lædunt. *l qui mutuam, mandati. l. quæ dubitationis, de regulis iuris.* Sanè si fideiussores epistolæ Diui Hadriani nominatim renuntiauerint, valebit renuntiatio, nec fideiussores exceptione se tuebuntur, *vt sup. in tertia pactorum diuisione traditum est.* Sic fideiussores non habent beneficium diuisionis ex epistola Diui Hadriani, si negauerint se fideiussisse *.l. si dubitet, §. ita demum, de fideiusso.* & hæc negationis siue infitiationis pœna est, de qua prolixè Molynæus *in consuetudinibus Parisiorum tit. 1. §. 30. num. 5. & Gabrielius Romanus lib. 5. de acquir. vel amitt. possess. conclus. 5. & hac de re latius dixi in commentariis in consuetudines feudorum. c 8 num. 115. cum sequenti.* Illud notandum est, quòd epistola Diui Hadriani non solùm ad fideiussores pertinet, verùm etiam ad mandatores, quorum scilicet mandato quis pecuniam credidit vel fideiussit, & ex Iustiniani constitutione ad pecuniæ constitutæ reos, qui scilicet constituerunt se pro alio soluturos. *l. vlt. C. de constit. pecun.* Sex- 81

tum exemplum. In eum, ad quem dotis nomine quid peruenit, dat Prætor funerariam actionem. *l. in eum, de relig. & sumptibus, fun.* Finge nunc: Is qui dotem dederat pro muliere, stipulatus est duas partes dotis sibi reddi, tertiam apud maritum remanere: tum pactus est, ne quid maritus in funus conferret: extraneus postea mulierem funerauit: quæritur, an maritum pro parte dotis, quæ apud ipsum remansit, conuenire posit? Iurisconsultus respondit posse, quia inquit, pacto ius publicum infringi non potuit. *l. Neratius, de religio. & sumptibus fun.* Septimũ exemplum proponitur *in l. quod bonis, ad L. Falcidiam*, idq́; ad L. Falcidiam pertinet. Olim ex duodecim tabulis
82 tota hereditas legatis poterat exhauriri Ita enim lex concepta erat: paterfamilias vti super pecunia tutelaue suæ rei legasit, ita ius esto. *Vlpianus in fragmen. titulo 11. Nouell. 22. §. 1. Institut. de L. Falcidia. Cornificius in 1. ad Heren. Cicero in 2. de inuentio.* Hodie vsq; ad dodrantem duntaxat legare licet ex L. Falcidia, quam Caius Falcidius Tribunus plebis Augusti tempotib.

porib rogauit. *Euſebius in Chronicis. Iſidorus lib. 5. etymolog. c. 15.* & reliquum quadrantē teſtator heredi relinquere cogitur. *d. §. 1. Inſtit. de L. Falcidia, l. 1. ad L. Falcidiā,* eumq; heres illibatum habere debet. *l. ſi filia, §. Papinianus ait. famil. hercſc.* Hinc lex Falcidia contra ſententiā & voluntatē teſtatoris inducta dicitur *in l. Titia, ad L. Falcid.* Hinc quoq; legatū ſecundū legem Falcidiā definitur, delibatio hereditatis, qua teſtator ex eo, quod vniuerſū heredis foret, alicui quid collatum velit. *l. legatum, de legatis, 1.* Quòd ſi teſtator heredi quadrantē non reliquerit, tunc locus eſt L Falcidiæ, & heres ex legatis tantū deducit, vt quadrantem conſequatur. At quæritur, an vi- 83
uo teſtatore conueniri poſsit, ne heres Falcidia vtatur, & vt certam pecuniam, ſi contrà feciſſet, præſtet? Et ICtus *in d. l. quod bonis; §. 1.* docet, huiusmodi conuentionem tanquam legibus contrariam non valere. Sic teſtator ipſe olim in teſtamento Falcidiam prohibere non potuit. Regula enim iuris eſt: quod nemo poteſt in teſtamento ſuo cauere, ne leges in teſtamento ſuo locum habeant. *l. nemo poteſt, de legat. 1.* hodie tamen poteſt, ex No-

uella constitutione prima. Inde Iacobus
Cuiatius summi ingenii & absolutæ eru-
ditionis ICtus existimat, hodie etiam vi-
uo testatore legi Falcidiæ priuata conuen-
tione derogari posse, contra d.l. quod bo-
nis. §.1. ad L. Falcidiam, quod non probo,
propterea, quòd nouæ constitutiones stri-
ctissimè sunt accipiendæ, vt suprà hoc ca-
pite dictum est. Et quod dicitur, pacto
fieri posse, quod testamento fieri potest. *l.*
pactum inter heredem, h. tit. n. ex eo non vi-
detur rectè inferri, viuo testatore licere
pacisci, ne heres Falcidia vtatur. Nam in
d.l. pactum inter heredem, h tit. non dici-
citur, quòd legatarius, viuo testatore, he-
redi legatorum satisdationem remiserit,
sed hoc dicta lege cauetur, quòd legata-
rius satisdationem legatorum quam ipse
legatarius, mortuo scilicet iam testato-
re, ab herede exigere poterat, heredi non
minus remittere possit, quàm testator
eam testamento remittere potest. Sanè
84 post mortem testatoris facta conuentio,
ne heres Falcidia vtatur, valet: eaque
Vlpiani sententia fuit. *l. qui quod per Fal-*
cidiam, ad L. Falcidiam. quam & Marcel-
lus probauit. *l. si patronus, §.1. de donatio-*
nibus,

nibus. ibi confeſsionem ICtus pro cautione accipit, quemadmodum Cuiatius, qui verbum, confeſsionis & ſequentia, non ICti, ſed Triboniani eſſe ſuſpicatur, in Nouella conſtitutione prima tradidit. Eandem denique ſententiam probauit Iuſtinianus *in l.vlt.C. ad. L. Falcid.* ex qua lege perſpicuè apparet, ante Iuſtinianum inter ICtos de eo controuerſiam fuiſſe, an dicta conuentio valere deberet, eamque controuerſiam Iuſtinianus ſuſtulit, Vlpiani ſententia probata, & contraria exploſa. Octauum exemplum proponitur *in l.1.§.ſi inter, de magiſtra. conuenien.* Inter magiſtratus municipales ſiue duumuiros conuenit, vt alterius tantùm periculo tutores darentur: hæc conuentio pupillo non præiudicat, ex Diui Hadriani reſcripto. Conuentione enim, inquit ICtus, duumuirorum ius publicum mutari non poteſt. *d.l.1.§.ſi inter.* Nonum exemplum eſt. *in l.ſumptus, h.tit.* idque ad pactionem de quota litis factam pertinet. Pactio, 85
quæ fit de quota litis, non valet. *l.ſalarium, mandati, l litem, C. de procurato.* Ideoque procurator ſiue aduocatus non poteſt paciſci, vt pars dimidia eius, quod ex ea lite

datum erit,sibi restituatur. *d. l. sumptus, h.*
86 *tit.* De honorario tamen siue salario aduocatorum & procuratorum rectè pactiones fiunt. Nam & Imperatorum constitutionibus aduocatorum salaria introducta sunt. Et primus Nero Romanus Imperator constituit,vt litigatores pro patrociniis mercedem darent,authore Suetonio in vita Neronis. *c. 17.* pro modo scilicet litis,proque aduocati facundia & fori consuetudine. *l. 1. §. in honorariis, de variis & extraordinariis cognitio.* Debentur
87 autem honoraria aduocato non solùm tunc, cùm vincit aduocatus & causam obtinet,verùm etiam cùm ipse succumbit & vincitur,argumento *l. sed an vltrò. §. 1. de negot. gest.* & eius quod dicit glossa *in c. 1. 83. distinct.* medico esse mercedem soluendam, licet ægrotus moriatur. Quin imò si Martiali fidem habemus, amissa causa plus debetur aduocato,quàm si vicerit. Nam laus fuisset loco præmii, cùm aduocatus victus ferat pudorem. Ita enim Martialis *lib. 8.* Epigram. inquit:

Egi Sexte tuam pactus duo milia causam,
Misisti nummos quot mihi mille, quid (est?

Narra-

Narrasti nihil, inquis, & à te perdita causa est,
Tanto plus debes Sexte quòd erubui.

Supra centum tamen aureos aduocatus pro singulis causis exigere non potest: centum aureos licitè exigit. *d.l.1. de variis & extraor. cognitio.* Et qui plus iusto exigunt deprædatores dicuntur *in l. si qui aduocatorum, C. de postulan.* Bartolus eos canes curiarum & deuoratores appellat, *in l. omnes populi, in s. quæst. princi. de iust. & iur.* Plato accipitres pecuniæ, Apuleius togatos vultures, à rapacitate scilicet, qua in causis forensibus vtuntur, in quibus instar vulturum prædantur, excarnificantq; homines. Prolixè Tiraquellus in libro de nobilitate. *c. 29.* Et tantùm de quinto capite huius tituli.



CAPVT SEXTVM

Quomodo pacisci debeamus.

1. *Pacta per interrogationem & responsionem fieri possunt.*

2. *Pacta à stipulationibus differunt solo animo & tractatus conclusione.*
3. *A paciscendo dolus abesse debet.*
4. *Dolus duplex est, bonus & malus.*
5. *Exemplum doli boni.*
6. *Definitio doli mali.*
7. *In dolum malum etiam fraus incidit.*
8. *Fraus dupliciter contingit.*
9. *Dolus malus non tantùm ab initio à pactis abeße debet, sed etiam postea.*
10. *Explicatio l. tres fratres, de pactis.*
11. *Pactio rescinditur propter res suppressas, non propter eas res, quæ latitârunt.*
12. *Explicatio § finalis, l. qui Roma, de verb. obligat.*
13. *Allegans dolum, dolum probare debet.*
14. *A dolo quauis causa excusat.*

PActa consensu fiunt, idq; non solùm ex definitione pacti *sup. cap.* 1. relata, verùm etiam passim ex toto hoc tractatu constat. Nihil autem refert, vtrũ consensus ille expressus sit an tacitus. Nam & tacitè pacisci possumus. *l. 2. & 4. sup. hoc tit. & dictum est latius in prima pacto-*
1 *rum diuisio. sup.* Quin imò pacta etiam per in-

interrogationem & responsionem possunt fieri. *l. iurisgent. §. quòd verè nouissima, h. tit.* Ac plurimùm falluntur, qui stipulationem à pacto in eo differre tradunt, quòd stipulatio fit per interrogationem & responsionem: pactum non item. Solo 2
namque animo & conclusione tractatus, pactum à stipulatione distinguitur, quemadmodum Iurisconsultus docet in *d. l. iuris gentium, §. quòd ferè nouissima, h. tit. & in l. 1. §. eum qui inutiliter*, ibi, non animo constituentis, inf. de constituta pecunia. In dubio tamen, cùm per interrogationem & responsionem promissum est, nec constat vtrum paciscendi aut stipulandi animo id factum sit, stipulationem præsumimus, nisi contrarium specialiter approbetur, quòd non animo stipulantium hoc factum est, sed tantùm paciscentium. *d. l. iuris gentium, §. quod ferè, de pactis.* Quomodocunque verò pacta fiant, semper ita fieri debent, vt à paciscendo dolus absit. Ita enim Prætoris edicto cautum est: pacta conuenta, quæ dolo malo facta non erunt, seruabo. *d. l. iuris gentium, §. ait Prætor, h. tit.* ac in tantum dolus abesse debet, vt non valeat conuentio ne dolus præste-
 tur.

tur. *l. si vnus, §. illud*, *hoc tit. l. contractu*, *inf. de reg. iuris* propterea, vt Constantinus Harmenopulus inquit, & nos suprà retulimus, quòd pactio turpis est bonis morib. contraria, & ad iniustititiã & contemptũ
4 legum excitat. *lib. 6. epitom. tit. 2.* Dolum autem cùm dicimus, dolum malum intelligimus. Est enim duplex dolus, bonus & malus. *l. 1. §. non fuit, de dolo malo.* Dolus bonus pro solertia accipitur, maximè si aduersus hostem latronemúe quis aliquid machinetur. *d. l. 1. §. non fuit, de dolo malo.*
5 Vt: dolus bonus est, quòd Quintus Fabius Labeo, cum à rege Antiocho, quem bello superauerat, ex fœdere icto dimidiam partem nauium accipere deberet, medias naues omnes secuit, vt sic eum tota classe priuaret. Valerius Maximus. *lib. 7. cap. 3.* Sic dolus bonus est, quòd Campani, cùm fœdus cum hostibus pepegissent, ea lege vt eis dimidiam partem armorum traderent, dissectis armis dimidium eos recipere iusserunt, *vt author est Pelius libro 6. Stratagematũ. Tiraquell. de vtroq; retractu. §. 1. gl. 21. numero. 15.* Est etiam dolus bonus, cum aliquis promittit Iudæis aut Sarracenis, se ad illorum religionem conuolaturum,

turum, vt ab eis discat linguam, qua percepta eos refellat, *Costalius in l. 1. de dolo malo.* De hoc dolo bono loquitur D. Paulus *in 2. Epistola ad Corin. c. 12.* Ego vos non grauaui, sed cùm essem astutus, dolo vos decepi. *Tiraq. in præfat. de vtroq; retract. num. 72.* Dolum malum Gallus Aquilius 6
definiuit, cùm aliud agitur, aliud simulatur. *Cic. in 3. officiis. & in topicis.* Hanc definitionem Seruius Sulpitius probauit. *d. l. 1. §. dolū malum, de dolo malo. Et Pedius ICtus in d. l. iuris gentium, §. dolus malus, h. tit. de pact.* Labeo verò reprehendit, propterea quòd nimis generalis & ad omnē fallaciā quæ tamen dolus non est, cùm & sine dolo aliud agi, aliud simulari possit, pertinet. Ipse ergo sic definiuit: Dolus malus est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumueniendum, fallendum, decipiendū alterum adhibita. Et hæc Labeonis definitio, inquit Vlpianus, vera est. *d. l. 1. & seq. de dolo malo.* Vt: dolus malus fuit, quòd Thraces pactis cum hostibus aliquot dierum induciis, noctu agros hostiū depopulati sunt, & ob id Cicero eos accusat *in 1. officio.* In definitionē autem doli mali etiā 7
fraus incidit. *l. iuris gentium, §. sed si fraudādi hoc*

di, h. tit. quam à dolo tanquam genus à specie interpretes communiter distinguunt, vt videre licet *in d. §. sed si fraudandi, & in l. 2. C. de in litem iurando. Albericus de Rosate in l. fraudis, de regulis iuris Baldus in l. quæ fortuitis, col. 2. C. de pignoratitia actione, Tiraquellus de vtroq; retractu. §. 26. gl. 1.*
8 *num. 35. 36.* Fraus autem dupliciter contingit, vel mala aduersarii mente, vel ipso rerum euentu. *l. fraudis interpretatio, de reg. iur. inf.* Si fraudator aduersarii mala fide, vt si per fallaciam debitoris ei sortem remisero, dolus est: inest enim dolo & fraus. Dolus autem nominatim edicto comprehenditur, & ideo, vt Iurisconsulti verbis vtar, superuacuum fuit, hac ratione allatam fraudem magis edicto notari. Si re ipsa læsus & fraudatus sum, non dolo aduersarii, vt si nulla debitoris arte circumscriptus vltrò ei sortem remisero, æquum non est, irritam remissionem fieri. Quod enim bona fide gestum est, etiamsi id sit alterutri fraudi, dissoluendum non est, & vt Iurisconsultus inquit, iniquum est, si quod semel remisit creditor debitori suo bona fide, iterum hoc conetur destruere. *d. l. iuris gentium,*

§. sed

§. sed si fraudandi, hoc. tit. Prætor igitur pa-
cta, quæ dolo malo, vel aduersarii fraude
inita sunt, non seruat: illa verò pacta, quæ
ex euentu alterutri paciscentium fraudi
sunt, tuetur. Quia semper in iure ciuili
fraudem non ex euentu, sed ex consilio
quoque æstimamus. *d. l. fraudis interpreta-
tio, de reg. iur.* Porrò dolus malus non 9
tantum ab initio à pactis abesse debet,
sed etiam postea, Nam siue ab initio dolo
malo pactum factum est, siue post pactum
dolo malo aliquid factum est, nocebit ex-
ceptio, propter hæc edicti verba, neque
quo fraus cui eorum fiat. *d. l. iuris gentium,
§. siue autem ab initio, hoc tit. n.* Per exce-
ptionem Iurisconsultus replicationem
intelligit: ita quoq; exceptionis verbo re-
plicatio significatur in *l. is qui in potestate
est, in princ. de legatis præstandis. l. nam postea-
quam, §. si minor, de iureiurando. l. apud Cel-
sum, §. si quis pupillo, de doli mali exceptione.*
Nec id absurdum est cùm replicatio nihil
aliud sit, quàm exceptio contraria & qua-
si exceptionis exceptio, vt Paulus loquitur
in l. exceptio, 2. de exceptionibus. Sed nunc *l.* 10
tres fratres, h. tit. n. in qua proponitur ex-
emplum pactionis, in qua dolus malus in-
terue-

teruenit, explicabimus. Species legis hæc est: Titius, Mœuius & Seia pacti inter se sunt, vt communem maternã hereditatem diuiderent, & instrumenta interposuerunt, quibus se diuisisse hereditatem, nihilq; sibi commune remansisse professi sunt: Postea Mœuius & Seia, qui absentes fuerunt tempore mortis, cognouerunt à Titio fratre suo, pecuniam subtractam esse, cuius nulla mentio in instrumento diuisionis continebatur: quæritur an post pactum diuisionis de surrepta pecunia, Mœuio & Seiæ aduersus fratrem Titium competat actio: Post pactũ dico diuisionis quia de diuisionis bonorum maternorum pacto siue placito generali agitur, non de ipsa diuisione: & aliud est diuisio, longè aliud diuisionis pactum siue placitũ: sicuti aliud est permutatio, aliud permutationis placitum, *vt expositum est in definitione pacti, sup. cap. 1. ad finem.* Modestinus autem, quẽ Gordianus Imperator non contemnendæ autoritatis ICtum appellat *in l. ad exhibendum, C. ad exhibendum*, respondit. Mœuium & Sciam ob portionem eius, quod surreptum est, aduersus fratrem Titium actionem habere: & si Titius ipsis agen-

agentibus & fraudem commissam ignorantibus, obiiciat generalem pacti conuenti exceptionem, de dolo vtiliter replicabunt. *d.l.tres fratres,h.tit.* quia Prætor, vt dictum est, pacta conuenta dolo malo facta non tuetur. Pactio igitur siue transactio generalis non extenditur ad ea, quæ ab vno ex transigentib. dolo malo siue fraude suppressa sunt. Non obstat *l.sub prætextu.2.C.de transactionibus*, quæ sub prætextu specierum pòst repertarum generali transactione finita rescindi prohibet. Etenim lex illa non loquitur de speciebus, ab vno ex transigentibus suppres- 11 sis, sed de iis, quæ latitabant sine trànsigentium fraude. Et generalis transactio siue pactio rescinditur, quando ab vno ex transigentibus res siue species aliquæ sunt suppressæ. At sub prætextu rerũ siue specierum, quæ latitârunt & postea repertæ sunt, generalis transactio siue pactio non rescinditur. Sanè in generalem transactionem non veniunt illa, quæ apud alium extra personas transigentium, tempore transactionis, constituta fuerunt, quæq; illius esse credita sunt. Vt: si credidi poculum argenteum, quod apud Titium est, Titii

videtur dicendum, transactionem quoque ad pecuniam suppressam extendi debere. Sed dicendum est. *in d.l.qui Romæ, § finali, de verb.oblig.* iudicem ideò pronuntiasse, transactionem ad fideicommissum pertinere, quòd ei aliunde constaret, de fideicommisso etiam fratres diuisione facta inter se transegisse: de suppressa verò pecunia cogitatum non fuisse. *Cuiatius in d.l. tres fratres, h.tit. & in l.qui cum tutoribus, de transactio. & in d.l.qui Romæ, §. finali, de verb. obligat. Cisnerus in d.l. qui cum tutoribus, de transactio.* Illud nunc notandum est, quòd 13
dolum alleganti incumbit probatio. Dolus enim non præsumitur, sed ex indiciis, siue vt alii legunt, ex insidiis perspicuis probari debet. *l.dolum, C. de dolo malo. l. meritò, pro socio. l.patronus, l.quoties, §. qui dolo, de probationibus. l. si Prætor, § Marcellus, de iudiciis Bartol. & alii in d. l.dolum, C. de dolo malo. Alberic.in l.1. ad finem, de rerum diuisione, prolixè Tiraq.de vtroq; retractu, §. 26.glos.1.num.35. & seq.* Et à dolo quæuis 14
causa facilè excusat, quemadmodum prolixè traditum est à Tiraquel. *in tractatu de pœnis, causa 43. & à Gabrielio Romano lib. 7. tit. de maleficiis. conclusione 8. Iulio*

19. *Locator est, qui dat aliquid utendum vel faciendum. Conductor qui accipit aliquid utendum vel faciendum.*
20. *Opera locatur, liberale officium, ut est manumißio serui, non locatur.*
21. *Contractus facio ut des, est cùm aliquid facio, ut tu aliquid des.*
22. *Nullus est contractus nomen habens, cui similis sit contractus, facio ut des.*
23. *In conuentionibus non spectatur, quis prior fidem liberârit, sed quis conuentioni initium dederit, & quo verbo.*
24. *Contractus facio ut facias est, cùm aliquid facio, ut vicißim aliquid facias.*
25. *Hic contractus similis est mandato.*
26. *Ex do ut des, do ut facias, & facio ut facias, est actio præscriptis verbis.*
27. *Actio præscriptis verbis dicitur & actio in factum.*
28. *Nonnunquam propria actio.*
29. *Interdum actio incerti.*
30. *Item actio ciuilis.*
31. *Duplex est actio in factum ciuilis.*
32. *Actio in factum ciuilis præscriptis verbis est tantùm ex contractibus incertis,*

incertis, similitudinem cum negotio ciuili habentibus.

33. *Iulianus dißentit ab aliis.*

34. *Ex contractu facio vt des, est actio de dolo.*

35. *Ordo actionum perpetuus.*

36. *Ratio quare ex facio vt des, non fit actio præscriptis verbis.*

37. *Iurisgentium conuentiones, quæ exceptionem pariunt, sunt pacta.*

38. *Negotium quod datione sumit effectum, partim ad pactum, partim ad contractum accedit.*

39. *Ex pacto actio datur in volentem, non in inuitum.*

40. *Secundus pactorum effectus est, quòd pacta formant actionem.*

41. *Si ab initio conuenit, vt venditor daret fideiussorem nomine euictionis, valet conuentio.*

42. *In deposito dolus & lata culpa, non leuis culpa præstatur, nisi ita conuenerit.*

43. *Soluto matrimonio dos annua, bima, trima die reddenda erat, hodie intra annum, nisi contrarium conuenerit.*

44. *Tutor qui tutelam non restituit, debet vsuras.*

emto in prin. de actio. empti. Loquitur verò
2 Vlpianus de æquitate naturali propterea quòd duplex, est æquitas naturalis & ciuilis, *l. 1. §. 1. si is qui testamento liber esse iussus erit. l. bona fides, depositi.* Naturalis scripta non est. Ciuilis scripto est comprehensa. *l. placuit, C. de iudiciis.* Vnde Cicero in topicis, ius ciuile definit, æquitatem constitutam his, qui eiusdem ciuitatis sunt, ad res suas obtinendas. Cæterū vt pacta exceptiones parere rectius intelligatur, in genere de conuentionibus dicendum, & d. l. iuris gentium, explicanda
3 est. Iuris gentium conuentiones, inquit Vlpianus, quædam actiones pari-
4 unt, quædam exceptiones. Conuentiones iuris gentium, quæ actiones pariunt, sunt contractus. Contractus rursus vel propriū nomen habent, vt emptio, venditio, locatio, conductio, societas, commodatū, depositū, vel nomine vacant, & tamen causam habent. *d l. iuris gentium, h. tit.* Hos interpretes vulgò innominatos appellant. Vlpianus & Florentinus certos & incertos vocant *in l. certi conditio, in princ. de reb. creditis, l. & vno, in princ. de acceptilatio.* Per causam autem ICtus dationem

vel factum intelligit, non συνάλλαγμα, vt quidam faciunt: quippe συνάλλαγμα & contractus idem sunt. *l. Labeo, de verb. sign.* & inter συνάλλαγμα & contractum tantùm nominis sonus differt, vt de pignore & hypotheca Martianus tradidit *in l. 5. §. fin. de pign. & hypothe.* hoc est, alterum nomen Græcum est, alterum Latinum. Porrò contractus qui nomine 5
vacant, longè plures sunt quàm contractus qui proprium nomen habent. Naturà enim rerum ita conditum est, vt plura sint negotia, quàm vocabula. *l. 4. de præscript. verbis inf.* Hinc ICtus *in l 1. in prin. de obligatio & actio.* obligationes ex variis causarum figuris descendere affirmat, hoc est, contractus incerti oriuntur, ex quam plurimis & variis causis, ex multis & variis iuris articulis, vt Imperator loquitur *in l. 1. C. de sacros. Eccles.* Com- 6
prehenduntur tamen contractus nomine vacantes, sub his quatuor generibus: Do vt des, do vt facias, facio vt des, & facio vt facias. *l. 5. §. 1. de præscript. verbis, inf.* Contractus do vt des est, cùm 7
rem do vt rem accipiam. Verbi gratia: Do tibi togam, vt tunicam mihi des. Hæc

conuentio,etsi legitimum & ciuile nomen non habet, habet tamen causam, hoc est, togæ dationem,& ideò contractus est incertus,qui dicitur, do vt des. *d.l. iuris gentium,§.etsi,hoc tit.& d. l. 5. §.1. de præscript.*
8 *verbis* Aliàs contractus do vt des, permutatio appellatur, quemadmodum ICtus perspicuè ostendit *in d. l. 5. §. 1. de præscript. verb.* ibi de hoc articulo, do vt des,tractans,dictum articulum permutationem nominat, quod contra Accursium eiusq; asseclas notandum est, qui aliud permutationem,aliud do vt des esse cen-
9 sent. Differt verò hic articulus, do vt des siue permutatio,ab emptione & venditione, ad quam proximè accedit in multis. Nam in emptione aliud est merx, aliud pretium,& alius emptor, alius venditor. At in permutatione discerni non potest, vter emptor vel venditor sit. l. 1. in princ. de rer. permutatio. *l. 1. de contrah. emptio.*
10 Deinde emptor nummos cogitur facere accipientis, & eo nomine tenetur ex vendito. Venditor non cogitur mercem facere emptoris, sed duntaxat ad tradendã possessionem obligatus est. *l. ex empto, in prin. de actio.empti.d.l.1.de rerum permutat.*

idq;

idq; dissimilis vtriusq; debitio facit. Etenim venditor rem, h. est, certum corpus debet Emptor quantitatem, quam ex immensitate & infinitate quadam eligere potest, & ob id tenetur pecuniam facere venditoris. Venditor, quia certum corpus debet, similiter non coarctatur. In permutatione non intelligitur quid sit pretium, quid merx, & sic consequenter non potest constitui, vt ex vna parte dominium transferatur, ex altera non item, sed in permutatione par est vtriusq; contrahentium conditio. *d.l 1. de rerum permutat.*
Denique emptio & venditio nuda voluntate consentientium contrahitur, & obligationem & actionem parit. *d.l.1. de rer. permuta. l.1. in fin. de contrah. empti.* Placitum verò permutationis contractus non est, nec ex eo nascitur actio. Vt: si ita conueniat, dabo tibi togam, vt mihi des tunicam. Et hac conuentione, tanquam ex nuda pactione, nulla nascitur obligatio, actio nulla. *l. ex placito, C. de rer. permuta.* Vt obligatio constituatur, & actio oriatur, causam, id est, dationem accedere oportet, hoc est, necesse est, vt vel toga vel tunica detur. Permutatio enim 11

enim ex re tradita, initium obligationi præbet, *vt Paulus loquitur in d.l.1.de rer.permuta.* Idcirco verò emptio nudo placito & consensu perficitur, permutatio non item, quòd emptio legitimum & ciuile nomen est: permutatio nomen iuris gent. siue naturale tantùm. Et eæ duntaxat conuentiones, quæ ciuile siue legitimum nomen habent, consensu obligationem constituunt. *d.l.1.de rer. permut.* Nec his, quæ diximus, aduersatur *l.ita constante, de iure dotium,* in qua Modestinus docet, constante matrimonio dotem ex pecunia in rem, aut ex re in pecuniam permutari
12 posse, si hoc mulieri sit vtile. Nam permutatio ibi pro emptione & venditione accipitur, quemadmodum & apud Ciceronem & Plinium sæpissimè, vt à Tiraq. traditum est de vtroque retractu. *§.30.gloss. 1. numero 19.* Non aduersatur quoq; quòd Iuriconsultus in l.lege Cornelia cauetur, ad L. Corneliam tradit, lege Cornelia exprimi ne quis nummos stanneos vel plumbeos dolo malo emat vendatue. Id enim ad peregrinos duntaxat nummos, vt puta ad nummos Daricos, Philippos, tetradrachmum Atticum siclos & alios id genus,

nus,quos cæterarum rerum exemplo in emptionem deduci ſolitos,*Voluſius Metia. in lib. de aſſe & part. eius indicat*,referendum eſt. Sic victoriatum nummum, qui à victoriæ ſigno impreſſo nomen accepit priusquam L. Clodia percuſſus eſſet, ex Illyrico aduectum mercisque loco habitum *Plin. lib. 33. cap. 3. refert. Barn. Briſſonio libro 1.* 14
antiquita. cap. 8. Sic ſuperioribus non repugnat *l. fina. de condictione cauſa data*, quæ ſignificat emptionem non eſſe, ſi dedi tibi pecuniam vt mihi Stichum dares. Quippe ibi propterea non eſt emptio, quod à contrahentibus id actum fuit, vt Stichus daretur. Dare eſt dominium transferre. *l. vbi autem non apparet, §. fin. de verb. obligat. l. non videntur data, de regu. iuris, §. ſic itaq; diſcretis, Inſtitut. de actionibus.* Hoc autem alienum eſt à natura emptionis & venditionis,vt ſup. dictum eſt. Etenim venditor tradere non dare debet,& emptio ita fit,do tibi pecuniam vt Stichum mihi tradas,non ſit ita,do tibi pecuniam, vt Stichum mihi des. Hoc igitur negotium non eſt emptio venditio: non eſt etiam permutatio ſiue contractus incertus do vt des, qui permutatio in pecunia non conſiſtit.

teruenit, explicabimus. Species legis hæc est: Titius, Mœuius & Seia pacti inter se sunt, vt communem maternã hereditatem diuiderent, & instrumenta interposuerunt, quibus se diuisisse hereditatem, nihilq; sibi commune remansisse professi sunt: Postea Mœuius & Seia, qui absentes fuerunt tempore mortis, cognouerunt à Titio fratre suo, pecuniam subtractam esse, cuius nulla mentio in instrumento diuisionis continebatur: quæritur an post pactum diuisionis de surrepta pecunia, Mœuio & Seiæ aduersus fratrem Titium competat actio: Post pactũ dico diuisionis quia de diuisionis bonorum maternorum pacto siue placito generali agitur, non de ipsa diuisione: & aliud est diuisio, longè aliud diuisionis pactum siue placitũ: sicuti aliud est permutatio, aliud permutationis placitum, *vt expositum est in definitione pacti, sup. cap. 1. ad finem.* Modestinus autem, quẽ Gordianus Imperator non contemnendæ autoritatis ICtum appellat *in l. ad exhibendum, C. ad exhibendum*, respondit. Mœuium & Seiàm ob portionem eius, quod surreptum est, aduersus fratrem Titium actionem habere: & si Titius ipsis agen-

agentibus & fraudem commissam ignorantibus, obiciat generalem pacti conuenti exceptionem, de dolo vtiliter replicabunt. *d.l.tres fratres,h.tit.* quia Prætor, vt dictum est, pacta conuenta dolo malo facta non tuetur. Pactio igitur siue transactio generalis non extenditur ad ea, quæ ab vno ex transigentib. dolo malo siue fraude suppressa sunt. Non obstat *l.sub prætextu.2.C.de transactionibus*, quæ sub prætextu specierum pòst repertarum generali transactione finita rescindi prohibet. Etenim lex illa non loquitur de speciebus, ab vno ex transigentibus suppres- 11
sis, sed de iis, quæ latitabant sine transigentium fraude. Et generalis transactio siue pactio rescinditur, quando ab vno ex transigentibus res siue species aliquæ sunt suppressæ. At sub prætextu rerũ siue specierum, quæ latitarunt & postea repertæ sunt, generalis transactio siue pactio non rescinditur. Sanè in generalem transactionem non veniunt illa, quæ apud alium extra personas transigentium, tempore transactionis, constituta fuerunt, quæq; illius esse credita sunt. Vt: si credidi poculum argenteum, quod apud Titium est, Titii

videtur dicendum, transactionem quoque ad pecuniam suppressam extendi debere. Sed dicendum est. *in d. l. qui Romæ, § finali. de verb. oblig.* iudicem ideò pronuntiasse, transactionem ad fideicommissum pertinere, quòd ei aliunde constaret, de fideicommisso etiam fratres diuisione facta inter se transegisse: de suppressa verò pecunia cogitatum non fuisse. *Cuiatius in d. l. tres fratres, h. tit. & in l. qui cum tutoribus, de transactio. & in d. l. qui Romæ, § finali, de verb. obligat. Cisnerus in d. l. qui cum tutoribus, de transactio.* Illud nunc notandum est, quòd 13
dolum alleganti incumbit probatio. Dolus enim non præsumitur, sed ex indiciis, siue vt alii legunt, ex insidiis perspicuis probari debet. *l. dolum, C. de dolo malo. l. meritò, pro socio. l. patronus, l. quoties, § qui dolo, de probationibus. l. si Prætor, § Marcellus, de iudiciis Bartol. & alii in d. l. dolum, C. de dolo malo. Alberic. in l. 1. ad finem, de rerum diuisione, prolixè Tiraq. de vtroq; retractu, §. 26. glos. 1. num. 35. & seq.* Et à dolo quæuis 14
causa facilè excusat, quemadmodum prolixè traditum est à Tiraquel. *in tractatu de pœnis, causa 43. & à Gabrielio Romano lib. 7. tit. de maleficiis - conclusione 8. Iulio*

Claro in 5. sententiarum cap. 60. num. 22.



CAP. POSTREMVM de vi, effectu & potestate pactorum.

1. *Primus pactorum effectus est, quòd pacta exceptionem pariunt.*
2. *Aequitas duplex est, naturalis & ciuilis.*
3. *Conuentiones iuris gentium vel actionem pariunt, vel exceptionem.*
4. *Contractus alii nominati sunt, alii innominati.*
5. *Plures sunt contractus innominati, quàm nominati.*
6. *Contractus innominati comprehenduntur sub his quatuor generibus, do vt des, do vt facias, facio vt des, & facio vt facias.*
7. *Contractus do vt des est, cùm rem do, vt rem accipiam.*
8. *Contractus do vt des est permutatio.*
9. *Do vt des differt ab emptione & venditione primùm in eo, quòd in emptione aliud est merx, aliud pretium, quod in permutatione discerni non potest.*

Emptor

10. *Emptor facit nummos accipientis, venditor tenetur tradere: in permutatioone hoc discrimen constitui non potest.*

11. *Emptio & venditio nuda voluntate contrahitur. Placitum permutationis non est contractus.*

12. *Permutatio quandoq; pro emptione & venditione sumitur.*

13. *Nummi peregrini emi possunt.*

14. *Emptio non est cùm dicitur, do tibi pecuniam vt Stichum mihi des.*

15. *Contractus do vt facias est, cùm rem do vt aliquid facias.*

16. *Do vt facias differt à locatione & conductione in eo, quòd in locatione & conductione pecunia intercedit. At contractus do vt facias pecuniam non agnoscit.*

17. *Locatio & conductio contrahitur, si de mercede conuenerit, contractus autem do vt facias, nuda conuentione non constituitur.*

18. *In locatione qui init contractum modò dat pecuniam, modò accipit. In contractu do vt facias, qui contractum init, semper rem dat.*

19. *Locator est, qui dat aliquid vtendum vel faciendum. Conductor qui accipit aliquid vtendum vel faciendum.*

20. *Opera locatur, liberale officium, vt est manumissio serui, non locatur.*

21. *Contractus facio vt des, est cùm aliquid facio, vt tu aliquid des.*

22. *Nullus est contractus nomen habens, cui similis sit contractus, facio vt des.*

23. *In conuentionibus non spectatur, quis prior fidem liberârit, sed quis conuentioni initium dederit, & quo verbo.*

24. *Contractus facio vt facias est, cùm aliquid facio, vt vicißim aliquid facias.*

25. *Hic contractus similis est mandato.*

26. *Ex do vt des, do vt facias, & facio vt facias, est actio præscriptis verbis.*

27. *Actio præscriptis verbis dicitur & actio in factum.*

28. *Nonnunquam propria actio.*

29. *Interdum actio incerti.*

30. *Item actio ciuilis.*

31. *Duplex est actio in factum ciuilis.*

32. *Actio in factum ciuilis præscriptis verbis est tantùm ex contractibus incertis,*

incertis, similitudinem cum negotio ciuili habentibus.

33. *Iulianus dissentit ab aliis.*

34. *Ex contractu facio vt des, est actio de dolo.*

35. *Ordo actionum perpetuus.*

36. *Ratio quare ex facio vt des, non fit actio præscriptis verbis.*

37. *Iuris gentium conuentiones, quæ exceptionem pariunt, sunt pacta.*

38. *Negotium quod datione sumit effectum, partim ad pactum, partim ad contractum accedit.*

39. *Ex pacto actio datur in volentem, non in inuitum.*

40. *Secundus pactorum effectus est, quòd pacta formant actionem.*

41. *Si ab initio conuenit, vt venditor daret fideiussorem nomine euictionis, valet conuentio.*

42. *In deposito dolus & lata culpa, non leuis culpa præstatur, nisi ita conuenerit.*

43. *Soluto matrimonio dos annua, bima, trima die reddenda erat, hodie intra annum, nisi contrarium conuenerit.*

44. *Tutor qui tutelam non restituit, debet vsuras.*

45. *Pupillis & minoribus fit mora in re ipsa.*

46. *Pactum format actionem in contractibus bonæ fidei, non stricti iuris.*

47. *Pacta in continenti adiecta, formant actionem, non ex interuallo adiecta.*

48. *Verba, in continenti, variè accipiuntur.*

49. *Explicatio l. lecta, de reb. creditis.*

50. *Olim duplex erat ratio credendæ pecuniæ.*

51. *Reprobos nummos dare non licet.*

52. *Definitio centesimæ vsuræ.*

53. *Centesima vnde dicatur.*

54. *Pactum in continenti adiectum stipulationi, inest ex parte rei non actoris.*

55. *Olim controuersum fuit, vtrum ex pacto bonæ fidei contractui adiecto, dari deberet actio præscriptis verbis.*

56. *Tertius pactorum effectus est, quòd pacta ex interuallo facta, tollunt, mutant, reformant contractum.*

57. *Ab emptione & similibus contractibus bonæ fidei in totum & pro parte recedi potest.*

58. *Quartus pactorum effectus est, quòd prius pactum per posterius eliditur.*

59. *Stipulatio ipso iure per stipulationem tollitur: secus est in pacto.*

Prius

60. *Prius pactum posteriori tollitur, cùm per prius pactum actio ipso iure sublata non est.*

61. *Quintus pactorum effectus est, quòd pacta naturalem obligationem producunt.*

62. *Naturalis obligationis, quæ ex pactis nascitur, magnus est effectus.*

63. *Postremus pactorum effectus est, quòd pacta iure pontificio actionem producunt.*

Restat vt de vi, effectu & potestate pactorum dicamus.

PRimus effectus hic est, quòd pacta exceptionem pariunt. *l. iuris gentium, §. igitur nuda, hoc titulo.* Et hoc Prætor suo edicto his verbis expressit: pacta seruabo. *d. l. iuris gentium, §. ait Prætor.* Seruat enim Prætor pacta, datis exceptionibus, non etiam datis actionib. eaq; in re, authore Vlpiano, Prætor naturalem æquitatem secutus est, quæ suadet, vt quæ semel inter homines placuerunt, custodiantur. *l. 1. in princ. h. tit. l. 1. de constitut. pecun. l. non minorem, C. de transactio. l. ex-* 1.

emto in prin. de actio. empti. Loquitur verò
2 Vlpianus de æquitate naturali propterea quòd duplex, est æquitas naturalis & ciuilis, *l. 1. §. 1. si is qui testamento liber esse iussus erit. l. bona fides, depositi.* Naturalis scripta non est. Ciuilis scripto est comprehensa. *l. placuit, C. de iudiciis.* Vnde Cicero in topicis, ius ciuile definit, æquitatem constitutam his, qui eiusdem ciuitatis sunt, ad res suas obtinendas. Cæterũ vt pacta exceptiones parere rectius intelligatur, in genere de conuentionibus dicendum, & d. l. iuris gentium, explicanda est.
3 Iuris gentium conuentiones, inquit Vlpianus, quædam actiones pariunt, quædam exceptiones. Conuentiones
4 iuris gentium, quæ actiones pariunt, sunt contractus. Contractus rursus vel propriũ nomen habent, vt emptio, venditio, locatio, conductio, societas, commodatũ, depositũ, vel nomine vacant, & tamen causam habent. *d. l. iuris gentium, h. tit.* Hos interpretes vulgò innominatos appellant. Vlpianus & Florentinus certos & incertos vocant *in l. certi condictio, in princ. de reb. creditis, l. & vno, in princ. de acceptilatio.* Per causam autem ICtus dationem
vel

vel factum intelligit, non συνάλλαγμα, vt quidam faciunt: quippe συνάλλαγμα & contractus idem sunt. *l. Labeo, de verb. sign.* & inter συνάλλαγμα & contractum tantùm nominis sonus differt, vt de pignore & hypotheca Martianus tradidit *in l. 5. §. fin. de pign. & hypothe.* hoc est, alterum nomen Græcum est, alterum Latinum. Porrò contractus qui nomine 5
vacant, longè plures sunt quàm contractus qui proprium nomen habent. Naturâ enim rerum ita conditum est, vt plura sint negotia, quàm vocabula. *l. 4. de præscript. verbis inf.* Hinc ICtus *in l 1. in prin. de obligatio & actio.* obligationes ex variis causarum figuris descendere affirmat, hoc est, contractus incerti oriuntur, ex quam plurimis & variis causis, ex multis & variis iuris articulis, vt Imperator loquitur *in l. 1. C. de sacros. Eccles.* Com- 6
prehenduntur tamen contractus nomine vacantes, sub his quatuor generibus: Do vt des, do vt facias, facio vt des, & facio vt facias. *l. 5. §. 1. de præscript. verbis, inf.* Contractus do vt des est, cùm 7
rem do vt rem accipiam. Verbi gratia: Do tibi togam, vt tunicam mihi des. Hæc

conuentio, etsi legitimum & ciuile nomen non habet, habet tamen causam, hoc est, togæ dationem, & ideò contractus est incertus, qui dicitur, do vt des. *d. l. iuris gentium, §. etsi, hoc tit. & d. l. 5. §. 1. de prascript.*
8 *verbis* Aliàs contractus do vt des, permutatio appellatur, quemadmodum ICtus perspicuè ostendit *in d. l. 5. §. 1. de præscript. verb.* ibi de hoc articulo, do vt des, tractans, dictum articulum permutationem nominat, quod contra Accursium eiusq; asseclas notandum est, qui aliud permutationem, aliud do vt des esse cen-
9 sent. Differt verò hic articulus, do vt des siue permutatio, ab emptione & venditione, ad quam proximè accedit in multis. Nam in emptione aliud est merx, aliud pretium, & alius emptor, alius venditor. At in permutatione discerni non potest, vter emptor vel venditor sit. l. 1. in princ. de rer. permutatio. *l. 1. de contrah. emptio.*
10 Deinde emptor nummos cogitur facere accipientis, & eo nomine tenetur ex vendito. Venditor non cogitur mercem facere emptoris, sed duntaxat ad tradendã possessionem obligatus est. *l. ex empto, in prin. de actio. empti. d. l. 1. de rerum permutat.*
idq;

idq; dissimilis vtriusq; debitio facit. Etenim venditor rem, h. est, certum corpus debet. Emptor quantitatem, quam ex immensitate & infinitate quadam eligere potest, & ob id tenetur pecuniam facere venditoris. Venditor, quia certum corpus debet, similiter non coarctatur. In permutatione non intelligitur quid sit pretium, quid merx, & sic consequenter non potest constitui, vt ex vna parte dominium transferatur, ex altera non item, sed in permutatione par est vtriusq; contrahentium conditio. *d.l 1. de rerum permutat.*
Denique emptio & venditio nuda voluntate consentientium contrahitur, & obligationem & actionem parit. *d.l.1. de rer. permuta. l.1. in fin. de contrah. empti.* Placitum verò permutationis contractus non est, nec ex eo nascitur actio. Vt: si ita conueniat, dabo tibi togam, vt mihi des tunicam. Et hac conuentione, tanquam ex nuda pactione, nulla nascitur obligatio, actio nulla. *l. ex placito, C. de rer. permuta.* Vt obligatio constituatur, & actio oriatur, causam, id est, dationem accedere oportet, hoc est, necesse est, vt vel toga vel tunica detur. Permutatio 11

enim

enim ex re tradita, initium obligationi præbet, *vt Paulus loquitur in d.l.1.de rer.permuta.* Idcirco verò emptio nudo placito & consensu perficitur, permutatio non item, quòd emptio legitimum & ciuile nomen est: permutatio nomen iuris gent. siue naturale tantùm. Et eæ duntaxat conuentiones, quæ ciuile siue legitimum nomen habent, consensu obligationem constituunt. *d.l.1.de rer. permut.* Nec his, quæ diximus, aduersatur *l.ita constante, de iure dotium,* in qua Modestinus docet, constante matrimonio dotem ex pecunia in rem, aut ex re in pecuniam permutari
12 posse, si hoc mulieri sit vtile. Nam permutatio ibi pro emptione & venditione accipitur, quemadmodum & apud Ciceronem & Plinium sæpissimè, vt à Tiraq. traditum est de vtroque retractu. *§.30.gloss. 1. numero 19.* Non aduersatur quoq; quòd Iuriconsultus in l.lege Cornelia cauetur, ad L. Corneliam tradit, lege Cornelia exprimi ne quis nummos stanneos vel plumbeos dolo malo emat vendatue. Id enim ad peregrinos duntaxat nummos, vt puta ad nummos Daricos, Philippos, tetradrachmum Atticum siclos & alios id genus,

nus,quos cæterarum rerum exemplo in emptionem deduci solitos,*Volusius Metia. in lib. de asse & part.eius indicat*,referendum est. Sic victoriatum nummum, qui à victoriæ signo impresso nomen accepit priusquam L. Clodia percussus esset, ex Illyrico aduectum mercisque loco habitum *Plin.lib.33.cap.3.refert.Barn.Brissonio libro 1.* 14
antiquita.cap.8. Sic superioribus non repugnat *l. fina.de condictione causa data*, quæ significat emptionem non esse, si dedi tibi pecuniam vt mihi Stichum dares. Quippe ibi propterea non est emptio, quod à contrahentibus id actum fuit, vt Stichus daretur. Dare est dominium transferre. *l. vbi autem non apparet, §.fin.de verb.obligat. l.non videntur data,de reg. iuris, §. sic itaq. discretis, Institut. de actionibus.* Hoc autem alienum est à natura emptionis & venditionis,vt sup. dictum est. Etenim venditor tradere non dare debet,& emptio ita fit,do tibi pecuniam vt Stichum mihi tradas,non fit ita,do tibi pecuniam, vt Stichum mihi des. Hoc igitur negotium non est emptio venditio: non est etiam permutatio siue contractus incertus do vt des, qui permutatio in pecunia non consistit.

sistit. Et hoc est quod Iurisconsultus Celsus inquit, non esse pro portione emptionem & venditionem *in d.l. fin. de condict. causa data.* Aliter Iohannes Corrasius *in Miscellaneis ad d. l. finalem* respondet,
15 sed ea solutio probanda non est. Contractus do vt facias est, cùm rem do, vt aliquid facias. Vt: do tibi togam, vt tabulam pingas. Hæc conuentio in proprium nomen contractus non transit, subest tamen causa, id est, datio togæ, & ob id hoc negotium *συνάλλαγμα* est ille
16 contractus, qui dicitur do vt facias. Hic autem contractus do vt facias, qui affinis est locationi & conductioni, differt à locatione & conductione primum in eo, quòd in locatione & conductione pecunia intercedit, non minus quàm in emptione & venditione. Vt: si decem tibi dem, vt tabulam pingas, locatio est & conductio. *d.l.5.§. at cum do vt facias, de præscript. verb.* eaq; pecunia speciali nomine merces dicitur. *l.2. locati & conducti §.1. Institut. de locato & conducto.* nonnunquam etiam pretium, *vt in l. si quis ante, de acquir. possess. l vlt. §. vlt. ad L. Rhodiam de iactu. l. quod si domi, locati.* & ex Imperatorum constitutionibus,

tionibus locatio etiam certa olei ponderatione fieri potest. *l. si olei, C. de locato & conducto.* At contractus do vt facias pecuniam non agnoscit *d. l. 5. §. at cùm do vt facias, de praescript. verb.* Deinde locatio & 17
conductio contrahitur, si de mercede conuenerit. *d. l. 2. locati & conducti*: contractus autem do vt facias nuda conuentione non constituitur. Vt: si conuenisset inter me & te, vt ego tibi darem togam, tu tabulam pingeres: ex hac conuentione, tanquam ex nuda pactione, nulla descendit obligatio, actio nulla. Ratio differentiae ex iis, quae suprà in contractu do vt des dicta sunt, petenda est. Deniq; 18
in locatione & conductione, qui init contractum, modò dat pecuniam, modò accipit. In contractu do vt facias, qui contractum init semper rem dat. Quod postremum vt intelligatur rectius, sciendum est, quòd locator non est qui mercedem accipit, conductor qui dat mercedem. Ita quidem vulgò locatorem & conductorem definiunt, vt: dominus aedium, inquiunt, qui mercedem accipit, locator est: Inquilinus qui mercedem dat conductor, & huic actio ex conducto, illi ex

ex locato datur. Sed hæ definitiones sunt vitiosæ. Nam & qui dat mercedem locutor dicitur,& ex locato agit. Vt: qui dat domum faciendam locator est. Contra qui domum faciendam suscipit ,est conductor, & ex conducto agit, & nihilominus mercedem accipit. Ac veræ & perpe-
19 tuæ definitiones hæ sunt: Locator est, qui dat aliquid vtendum vel faciendum. Qui dat vtendum, mercedem accipit: qui dat faciendum, mercedem dat. Conductor est qui accipit aliquid vtendum, vel faciendum. Qui accipit vtendum, dat mercedem. Qui accipit faciendum, accipit mercedem. Verbi gratia: Qui domum dat vtendam, locator est,& mercedem accipit: qui domum dat faciendam, locator quoq; est,& dat mercedem. Qui domum faciendam accipit, conductor quoq; est & accipit mercedem. Sic magister nauis qui nauim dat vtendam est locator & accipit mercedem. Dominus mercium qui nauim accipit vtendam est conductor, & dat mercedem. At magister nauis, qui merces accipit vehendas, est conductor, & hoc quoq; casu accipit mercedem. Dominus mercium qui dat merces vehen-
das,

das, est locator, & nihilominus hoc casu sicuti priori dat mercedem. Sic si magister se discipulo vltrò det vtendum, hoc est, operam suam discipulo deferat, & de mercede paciscatur magister locator est, discipulus conductor est, magister mercedem accipit, discipulus dat mercedem, contra si discipulus se sponte & vltrò in disciplinam magistri det, eumq; suscipiat magister certa mercede, discipulus locator est, magister conductor. Et nihilominus hoc posteriori casu, sicuti priori, discipulus dat mercedem. Atq; ita vt diximus apparet, quòd locator modò pecuniam dat, modò accipit: secus est in contractu do vt facias, in eo qui contractum init, semper rem dat. *Iacobus Cuiatius lib. 2. obseruationum cap. 28.* Non obstat quod *in d.l.5.§.at cum do vt facias, de præscript. verbis.* ICtus docet, contractum incertum do vt facias esse, cum do pecuniam vt seruum manumittas. ICtus enim de facto, quod locari non potest, loquitur. Opera 20
locatur vt puta vt tabulam pingas: liberale officium, quale est manumissio serui, locari non solet, & cùm tale factũ in conuentionem deducitur, quod locari non

R po-

potest, tunc pecunia intercedere potest, & nihilominus est contractus do vt facias. Ex hoc autem contractu, do tibi decem vt Stichum manumittas agi potest, siue certum tempus adiectum sit, intra quod manumittatur, idq; cùm potuisset manumitti viuo seruo transegerit, siue præfinitum non fuerit tempus, & tantum temporis consumptum sit, vt potuerit debueritq; manumitti, *d. l. 5. §. at cum do vt facias, de præscript. verb.* Nec enim negotio ita contracto, do tibi decem vt Stichum manumittas, seruus ipso iure fit liber. Sic seruus, qui hac lege legatus est vt manumittatur, ipso iure libertatem non consequitur. *l. si fundum sub conditione, 81. §. Stichum, de legatis 1.* Aliud dicendum est si venditus fuerit seruus hac lege, vt manumitteretur, tunc non seruata fide nihilominus seruus ipso iure erit liber, ex constitutione D. Marci. *l. Paulus respondit, de liberali causa. l. vlt. C. si mancipium ita fuerit alienatum.* Idemq; dicimus, si seruus ea lege, vt manumitteretur, fuerit donatus. *l. 1. C. si mancipium ita fuerit alienatum.* Quod tamen temporibus Scæuolæ Iurisconsulti non obtinuit, & ob id Scæuola re-

respondit, Sticho, qui ex lege donatus e-rat vt manumitteretur, non manumisso agi posse. *l. qui Romæ, §. Flauius, de verbo. obligatio* Contractus facio vt des est, cùm aliquid facio, vt tu mihi vicissim aliquid des. Verbi gratia: Manumitto seruum meum, vt mihi des decem; vel, indico tibi seruum fugitiuum, vt pro indicatione præmium mihi des. *l. solent, de præscript. verbis.* Hic geritur negotium, cuius proprium & speciale nomen inuenire non possumus. Hoc tamen negotium non pactum est, sed contractus, quia causa accessit, hoc est, factum aliquod. Ego enim manumisi vel indicaui seruum fugitiuum, vt mihi dares decem. & hic contractus dicitur facio vt des. *d. l. 5. §. quod si faciam, de præscript. verb.* Hic vero contractus facio vt 22.
des, nullam habet similitudinem, nullam affinitatem, cognationem nullam, cum contractibus qui nomine legitimo prædicti sunt. Contractus do vt des similis est emptioni venditioni: Do vt facias locationi & conductioni, vt suprà est expositum. Verùm non reperitur contractus nomẽ habens, cui contractus facio vt des sit similis. Videtur quidẽ hoc negotiũ, manumitto seruũ vel indico fugitiuũ, vt mihi des

R 2 decem

decem, simile esse locationi & conductioni, quippe locatio & conductio plerumq; ita sit, vt quis suscipiat aliquid faciendum vt ex eo mercedem ferat, verum si-
23 mile non est, quod ita ostendo: In conuentionibus non spectatur, quis prior fidem liberauerit, sed quis conuentioni initium dederit, & quo verbo. Et hoc est quod ex antiquis Interpretibus quidam dicunt, conuentiones æstimari ex initio non ex implemento. Et ideò hæc conuentio, dabo tibi togam vt tabulam mihi pingas, non immutatur, nec peruertitur, quamuis tu picturam feceris, antequam ego togam tibi darem. Hæc ratio ineundarum conuentionum facit, vt contractus do vt facias separetur à contractu facio vt des. Et hi contractus inter se nequaquam confundendi sunt Hæc ipsa quoq; ratio ineundarum conuentionum facit, vt in contractu locationis & conductionis, idẽ aliàs sit locator, aliàs conductor. Vt finge: Inter Titium & Sempronium locatio & conductio contrahitur. Si Titius ineat contractum, Sempronius est locator. Nec hîc inspicimus, quis prior expleat contractum, sed quis contractum ineat. Sic si ma-

magiſter diſcipulo ſe vltrò det vtendum, hoc eſt, operam ſuam diſcipulo deſerat, & de mercede paciſcatur, magiſter init contractum, & eſt locator, diſcipulus conductor. Contrà, ſi diſcipulus ineat contractum, id eſt, ſi det ſe prior in diſciplinam magiſtri, eumque ſuſcipiat magiſter mercede certa, diſcipulus eſt locator, magiſter conductor. Et hoc in locatione & conductione eſt perpetuum, quod qui init contractum locator dicitur. Et incipit locatio ſemper ab hoc verbo, Do. Vt: do tibi domum vtendam, locator ſum: do tibi domum faciendam, tuq; eam faciendam ſuſcipis, locator itidem ſum. Sic cùm magiſter init contractum, dicit, do me tibi vtendum. Si diſcipulus ineat contractum, dicit, do me docendum, vel, do me in tuam diſciplinam. Et ideò contractus incertus do vt facias, ſimilis eſt locationi & conductioni. At hoc negotium facio vt des, vt manumittam vel indicabo fugitiuum vt decem des, vel tabulam pingam vt des, rogam, non poteſt comparari locationi & conductioni, quia locatio & conductio hac forma non fit, ſed vt dictum eſt, perpetuo incipit ab hoc verbo Do.

24. Contracto facio vt facias est, cum aliquid facio, vt tu vicissim aliquid facias. Vt: manumitto seruum meum, vt tu rursus seruum tuum manumittas. Huic quoq; negotio proprium nomẽ contractus inuenire non possumus. Cæterùm quia causa subest, hoc est, factum siue manumissio serui, dicimus contractum esse incertum & nomine vacantem, qui dicitur facio vt

25. facias. Hic contractus similis est mandato *d.l.5. §.pen. de præscript.verb.* Quippe qui manumittit seruum, vt seruus vicissim manumittatur, quasi mandatum manu mittendi accepisse videtur. Quin imo interdum negotium in mandatum cadens, dubitationis tollendæ causa, pro facio vt facias, & pro incerto cõtractu accipitur, quemadmodum Iuriscõsultus docet *in d.l.5.§ sed si facio vt facias, de præscriptis verbis. ibi tale proponitur exemplum*: Ego & tu pacti sumus, vt tu à meo debitore Carthagine exigas, ego à tuo Romæ. Hic mãdatum videtur interuenisse, quia cõuenit vt ego à tuo debitore, tu à meo exigeres, quod absq; mandato fieri non potest *d.l.5. §. sed si facio, l. si pupilli, §. vlt. de negotiis gestis.* Et quamuis id actum videatur,

vt

vt ego meo sumptu à tuo debitore exigerem, tu a meo debitore tuo itidem sumptu exigeres, idq; naturam mādati excedit, quæ est, vt mandatarius suis sumptib. mandatum non exequatur. *l. 1. C. mandati*, tamen cum hîc non simplex mandatum sit, quod mandatarius suo sumptu non exequitur. *d. l. 1. C. mandati*, sed mutuum officium vt ICtus loquitur, hoc est, duplex mandatum, aut mutuum mandatum, impendia possunt sequi, hoc est, ego possum à tuo debitore meo sumptu exigere, & tu à meo tuo sumptu, & sic sumptus cum sumptu compensatur, nec ego quicquam pro te, nec tu pro me erogare videris. Præterea mandatū potest ex pacto naturā suam excedere, Possum enim, inquit ICtus, tibi mandare, vt & custodiā mihi præstes. *d. l. 5. §. sed si facio vt facias, de præscript. verb.* hoc est, mandato potest inseri lex depositi: ita ea verba explicāda sunt *ex l. 1. §. quod si rem, depositi.* Nec enim hoc ICtus vult, quòd in mandato liceat pacisci, vt culpa quoq; præstetur. Hoc frustra paciscimur, cùm ex natura mādati omnis culpa à mandatario sit præstāda. *l. a procuratore C. mandati. l. negotium gerentes,*

rentes, *C. de negotiis gestis, & dictum est cap. 5. sup.* Quemadmodum igitur mandato lex custodiæ inseri potest: ita quoque pacto effici potest, vt mandatarius suis sumptibus mandatū exequatur, & tunc, inquit Iurisconsultus, nulla dubitatio est, quin mandatum sit contractum, si eandem quantitatem impenderimus. *d. l. 5. §. sed si facio vt facias, de præscript. verb.* hoc est, si mutuum officium fuerit præstitum, si duplex fuerit mandatum & tu à meo debitore exegeris tuo sumptu, ego versa vice exegero à tuo debitore meo sumptu. Hoc enim casu sumptuum fiet compensatio. At quid fiet, si ego exegi à tuo debitore meo sumptu, tu autem à meo debitore pecuniam mihi debitam exigere cessas? Hic quidem nulla potest fieri sumptuum compensatio: sed tamen hoc quoque casu mandatum interuenisse videtur, & ego qui à tuo debitore pecuniam tibi debitam meo sumptu exegi, sumptus quos feci, à te repetam actione mandati contraria. Neq; enim, vt Iurisconsultus inquit, de re mea mihi mandasti, id est, non mandasti mihi, vt meis sumptibus à tuo debitore pecuniam exigerem. Vtroque igi-

igitur casu mandatum videtur contractũ. Verùm cùm in dubio res sit posita, dubitationis tollendæ causa, negotium prædictum pro incerto siue innominato negotio accipiemus, & tutius est, ex eo dari actionem, quæ ex negotio incerto, facio vt facias dari solet, eaq; actio similis erit mandati actioni. *d.l.5.§. sed si facio vt facias, de præscript.verb.* Sed nunc de actionib. 26
ex contractibus incertis prouenientibus, dispiciamus. Ex contractu do vt des, do vt facias, & facio vt facias datur actio, quæ dicitur præscriptis verbis actio. *d.l.5. de præscript.verb* propterea quòd ex præscripto contrahentium datur. Cæteræ actiones à Prætore dantur meditatis & conceptis verbis. Hæc ex præscripto contrahentium, vel si contractus scripto non constat, ex conuentione. *l.1.§ si quis seruum, depositi, ibi Iurisconsultus de præscriptis verbis actione loquens, sequemur, inquit, quod habuerunt præscriptum, aut quod conuenerit.* Aliàs dicitur actio in factum, vt sub titulo de præscriptis verbis sæpissimè, quia διηγηματικῶς, id est, narratiuè proponitur, & rei gestæ narrationem continet, quemadmodum de exceptione in factum

Theoph. tradidit *in §. 1. Institut. de exceptionibus.* nonnunquam propria actio, *vt in l. petenti, de pignoratitia actione.* quia datur ex nouo, proprio & peculiari negotio, quòd à ciuilibus negotiis separatum & seiunctum est. *l. rogasti, in illis verbis, quasi negotio quedã inter nos gesto proprii contractus. l. si tibi polienda, ibi, quasi de nouo negotio. de præscript. verb. §. præterea, ibi, proprium genus contractus. Institut. de locatione & conductione.*
29 Interdum actio incerti, vt sub titulo de præscriptis verbis videre licet, non propterea quòd datur ex contractu incerto, sed quia datur in id quod interest,
30 quandoque actio ciuilis. *l. 5. §. at cum do vt facias, de præscript. verb. l. iuris gent. h. tit. n. de pactis.* quia comparata est ad exemplum & similitudinem ciuilis alicuius actionis, vt: actio præscriptis verbis quæ datur ex permutatione siue ex do vt des, similis est actioni empti, quæ ex do vt facias, similis est actioni locati, quæ ex facio vt facias, similis est actioni mandati. *d. l. § . sed si facio vt facias, de præscript. verb.* Ob hanc igitur similitudinem quam actio præscript. verb. cum ciuilibus actionibus habet, dicitur & ipsa ciuilis: verùm non est directò ciuilis

uilis, sed vtilis, *& ita appellatur in l. cum mo-tu. C. de transact. l. 1. C. de pactis conuentis. l. 3. C. de donationib. quæ sub modo fiunt.* Alia est actio ciuilis in factum, quæ non est præ-
32 scriptis verbis. Nam duplex est actio in factum ciuilis, alia est præscriptis verbis, alia non est præscriptis verbis. Hinc Iurisconsultus *in l. si tibi rem vendendam, §. sed si puerum, & in l. si tibi polienda, in fine hoc tit.* dicit, in factum actio competit, hoc est, præscriptis verbis. Ideo dicit, id est, vt ostendat, quòd duplex est actio in factum ciuilis, præscriptis verbis & non præscriptis verbis. Exemplum actionis ciuilis in factum, quæ præscriptis verbis non est, lex Aquilia nobis suppeditat. Ex lege Aquilia est actio directa. *§. fin. Institut. de lege Aquilia,* quæ etiam ciuilis appellatur *in l. si heres institutus, §. 1. ad Trebellianum* eaque tunc competit, cum corpori corpus damnum dedit, vt si quis sua manu seruum occiderit. Quod si corpori damnum datum fuerit, non à corpore, sed corporis occasione, vt si quis seruum alienũ incluserit, & seruus fame perierit, hoc casu datur actio vtilis legis Aquiliæ, atq; ita appellatur *in d. §. fin. Institut.*

stitut de l. Aquil. Dicitur quoque actio in factum *in tit. ad l. Aquil in Pandectis inspissime & in l. quia actionum, in 2. parte, de præscript verb.* In factum ciuilis scilicet, quia datur in casum similem. *l. Aquil.* Hic enim casus, si corpori corporis occasione damnum datum fuerit, est similis casui, si corpus corpori damnum dederit. Et in simili casu datur actio vtilis. *l. locum, §. vlt. de vsufructu, l. sed et si proprietatis, ad l. Aquiliam*, quæ, vt dictum est, dicitur in factum ciuilis, sed præscript. verb. non est.
32 Actio enim in factum ciuilis præscriptis verbis, est tantùm ex contractibus incertis siue innominatis, similitudinem cum negotio ciuili habentibus. Quòd si casus similis non sit, non dabitur actio in factum ciuilis, vt: si seruum, quem dominus vinxerat, aliquis soluit, isque seruus aufugit: hic corpus corpori damnum non dedit, non est etiam damnum datum corpori, corporis occasione, quia seruus, qui aufugit, damnum non accepit, & ideò neque actio directa legis Aquiliæ competit, neque vtilis, quæ dicitur in factum ciuilis, & tantùm in casu simili datur, sed competit actio in factum prætoria. *d. § fin. Institut. de*

de l. 1 pnl. Ex contractu igitur, do vt des, do vt facias, & facio vt facias datur actio præscriptis verbis. At vehementer obstat. l. 4. § sed si dedi tibi seruum, de præscriptis verbis. ibi talis proponitur facti species. Dedi tibi seruum, vt seruum tuum manumitteres: tu manumisisti, & postea is, quem dedi est euictus: quæritur, quænam tibi aduersum me detur actio serui euicti nomine? Iulianus ita distinxit: aut sciens seruum alienum dedi tibi, & tunc de dolo in me tibi dabitur actio: aut ignorans, & dabitur actio in factum ciuilis. Ibi autem negotium ita gestum fuit, do vt facias. Videtur igitur dicendum, quòd ex do vt facias, non sit actio præscriptis verbis. Ad hanc obiectionem ita re- 33
spondendum est: Iulianus in proposita facti specie putauit deficere actionē præscriptis verbis, & idcirco dedit actionem de dolo, vel actionem in factum prætoriam. Cæterum in eo Iulianus fuit reprehensus à Mauritiano, qui in d. specie tradidit, competere actionem in factum ciuilem, hoc est, præscriptis verbis. Et hanc sententiam Vlpianus probauit *in d. l. iuris gentium, §. & ideò puto, h. tit. nostro de pactis.*

Ex

Ex illo § apparet, Tribonianum *in d. l. 5. § sed si dedi tibi seruum, de praescript. verb.* ad Iulianum male adiecisse verbum, ciuilem. Nam Iulianus dedit in d specie actionem de dolo, & dolo deficiente actionem in factum praetoriam, vt perspicue ostenditur in d. l iuris gent. de pactis &
34 ibi Iacobus Cuiatius notauit. Porro ex contractu facio vt des, non est actio ciuilis, hoc est, praescript. verb. sicuti ex superioribus tribus contractibus incertis, praescriptis verbis actio descendit, & ideò datur actio de dolo. *d. l. 5. § quod si facia vt des, de praescript. verb. l. cũ proponas. C. de dolo malo.* quia plerunque cessantes & fidem non implentes dolum committunt. Si dolus absit, vt si ego manumisi ancillam, & tu cessas dare, dolo malo non interueniente, dabitur actio in factum praetoria. Et
35 hic est ordo actionum perpetuus. Primum datur actio ciuilis ex contractib. descendens, quorum appellationes iure ciuili proditae sunt, & si haec actio sit, caeterae non dantur. Deinde descenditur ad actionem in factũ ciuilem, quae etiam vtilis dicitur, vt sup. dictum est: & haec vel est praescriptis verbis, vel non est praescriptis ver-

verbis. Tertio loco ponitur actio in factũ prætoria, quæ datur ex edictis, vt est actio Pauliana & albi corrupti. Quarto loco itur ad actionem de dolo, & hæc est subsidio superioribus actionibus, hoc est, tunc datur, cùm superiores actiones deficiunt. Vltimo loco peruenitur ad actionem in factum prætoriam, quæ datur ex decreto, Et hæc est postrema omnium actionum. & subsidiaria subsidiariæ, hoc est, datur cùm actio de dolo, quæ subsidiaria est actio, deficit. Ideò verò ex contractu facio vt des, non est actio ciuilis siue præscriptis verbis, quia omnis actio præscriptis verbis datur ex contractu siue ex negotio aliquo, quod cognationem, affinitatem & similitudinem aliquam cum contractu & negotio ciuili habet. Sic quoque actio in factum ciuilis, quæ præscriptis verbis non est, datur in casu simili, in casu dissimili non datur, vt supra est expositum. Hic autem contractus facio vt des, nullam habet affinitatem, cognationem & similitudiné cum negotio ciuili, vt sup. est expositum. Igitur ex cõtractu facio vt des, non competit actio præscriptis verbis, sed vel actio de dolo, si dolus arguatur, vel cessante do- 36

te dolo, actio in factum prætoria. Nec obstat. *l. solent, de præscript. verb.* quæ in hac specie, indicabo fugitiuum, vt inditium, id est, præmium pro indicatione des, ciuilem actionem, id est, præscriptis verbis competere ostendit. Nam etsi ICtus initio quidem præscriptis verbis actionem, in proposito casu competere posse ostendit: tamen postea id corrigit his verbis: Nisi si quis, & docet competere actionem de dolo. Sic particula, Nisi, corrigit *in l. si mihi purè, de legat. 2.* Non obstat quoque *l. cùm mota, C. de transactio.* in qua filiæ exheredatæ, quæ à lite discesserat, vt partem bonorum acciperet, in cessantem datur actio præscriptis verbis. Etenim ibi negotium ita gestum fuit, dabo tibi partem bonorum, vt à lite discedas, quemadmodum Imperator ostendit in illis verbis, vt bonorum partem acciperet, & à lite discederet. Et quamuis filia prior fidem impleuerit, & à lite discesserit: tamen propterea conuentio non mutatur, quia conuentiones ex initio æstimamus, non ex implemento, vt sup. dictum est. Et tantum de conuentionibus iuris gentium, quæ actionem pariunt Iuris gentium conuen-

tiones,

tiones, quæ pariunt exceptionem, sunt pacta. Hæc primum nomen & legitimum nomen non habent, naturale tamen habere possunt, vt sup. capite est expositum. Deinde etiam non habent causam, id est, dationem vel factum, & ideo iure ciuili non constituunt obligationem. *d. l. iuris gentium, § sed cùm nulla, h. tit. nostro.* Verbi gratia: Conuenit inter me & te, vt darem tibi togam, & tu mihi dares tunicam. Hæc conuentio non transit in proprium nomen contractus, non habet etiam causam, & ob id ex hac conuentione iure ciuili non nascitur obligatio, non nascitur actio, quia ex pacto actio nasci non potest, & hæc regula iuris est, vt Vlpianus loquitur *in d. l. iuris gent. § quin imò ibi, propter eandem regulam, h. tit.* exceptio tamen, ex nuda pactione, iure prætorio datur *d. § sed cum nulla.* Vt: habes aduersum me actionem iudicati: pactus sum tecum ne iudicati ageres, ex hac conuentione Prætor mihi exceptionem dat. Si igitur me conuenias, repellam te exceptione pacti, atque ita Prætor pacta seruat datis scilicet exceptionibus, non etiam datis actionibus, vt sup. in initio huius capitis dictũ est. Non obstat *l. Titius Sempronio, de præ-*

script. verb vbi ex pacto datur actio. Ibi etenim Titius Sempronio triginta dedit, & pactus est, vt fisco tributa solueret, ad finem modumque semissis vsuræ, & quod ex semissibus vsuris superesset, sibi præstaret. Et ICtus docet, vsuras actione præ-
38 scriptis verbis peti posse. Hoc, inquam, non obstat. Nam ibi negotium datione sumpsit effectum, & ideo partim ad pactum, partim ad contractum accedit. Pactum est, quia nominatim pactum fuit interpositum. Contractus est, quia dedi tibi triginta, sicuti sup. in quarta pactorum diuisione latius exposui. Rursus non obstat *l. 5. C. de contrah stipulat.* Vbi fundo Tusculano nudo pacto promisso, stipulatio ad hunc modum fuit subiecta: Si fundum Tusculanum non dederis, centum dabis, & Imperatores rescripserunt, post motam litem extitisse conditionem stipulationis. Notanda sunt verba, post motam litem. Iis verbis Imperatores significant, ex pacto fuisse actum. Igitur ex pacto actio. Respondeo ex pacto actio non datur in inuitum: in volentem actio esse potest. Et si quis nudo pacto quid promiserit, & pacto postea subdita fuerit stipulatio pœnalis conditionalis, promissor

vo-

volens ex pacto actionem excipere debet,
& volens pati, vt ex pacto secum agatur,
alias committetur stipulatio pœnalis.
Hæc est sententia antiqui glossatoris Io-
hannis, quam Iacobus Cuiac. probauit *in
l. ita stipulatus sum, de verb. obligat.* Non
obstat, quòd seruitutes pactionibus con-
stituuntur. *§. fina. Instit. de seruitu. rusticor.
prædio. §. sine testamento, Instit. de vsufructu.
l. 3. ff eodem.* Id enim de pactionibus con-
tractuum vel traditionum adiectis in con-
tinenti, intelligendum est, non de aliis
pactionibus Cuiatius in commentariis
ad Africanum in 9. tractatu in princi-
pio. Et tantum de 1. pactor. effectu. Se-
cundus pactorum effectus est, quòd pacta 40
formant ipsam actionem *d. l. iuris gent. §.
quin imò, hoc titulo.* aut vt dicitur *in l. cum
dotem, C. de iure dotium.* formant contra-
ctum, hoc est, legem contractui dant, vt
Vlpianus interpretatur *in d. l. iuris gent. §.
quin imò, in illis verbis, quæ legem, hoc titulo.
& in l. contractus, ibi, legem enim contractui
dedit, de regul. iuris.* Et hoc est, quod di-
citur contractus legem ex conuentione
accipiunt. *l. 1. §. si conuenit, depositi.* Ver-
bi gratia: Emo à te domum pro mille

 flore-

florenis: tu euictionis nomine cauere mi-
hi teneris, hoc est, teneris præstare nudam
cautionem, non teneris quoque ob euicti-
onem dare fideiussorem, quem vulgo au-
thorem secundum vocant. *l. 4 in princ. de*
41 *euictionibus. l. si dictum, in princi. eodem.* Ve-
rùm si ab initio conuenit inter me & te,
vt satisdares, id est, dares fideiussorem,
conuentio huiusmodi siue pactum format
contractum, hoc est, legem hanc, vt satis-
detur, contractui dat, & format actionem
ipsam, id est, facit vt actio ex contractu
emptionis descendens porrigatur etiam
ad id, quod pacto comprehensum est: &
ideo per actionem empti possum te com-
pellere, vt des nomine euictionis fideiusso-
rem, quemadmodum tecũ pactus eram.
d. l. 4. in princi. de euictio. d. l. si dictum, eodem.
42 Sic natura depositi & precarii est, vt la-
ta culpa, quæ dolo proxima est, in iis præ-
stetur, non vt præstetur etiam culpa leuis,
quemadmodum, *c. 5. sup.* expositum est.
Verùm si ab initio conuenit, vt deposita-
rius, vel is qui precario rogauit, culpam
quoque præstaret, rata erit conuentio.
d. l. 1. § si conuenit, depositi. Pactio enim quæ
ex continenti contractui adiecta est, for-
mat contractum id est, hanc legem depu-

bro

fito & precario dat, vt in depositum & precarium veniat culpa leuis, quæ alias non veniret. Et ideo si depositarius, vel qui precario rogauit, in custodienda re deposita, vel quam precario accepit, non eam diligentiam adhibuit, quam diligens paterfamilias adhibuisset, possint actione depositi, vel præscriptis verbis eo nomine conueniri: atque ita pactum format ipsam actionem, id est, facit vt actio depositi vel præscriptis verbis ob culpam, desidiam & negligentiam depositarii, vel eius qui precario rogauit, detur, cùm aliàs & extra huiusmodi pactionem, depositarius & qui precario rogauit culpam nō præstent. Sic soluto matrimonio, dos olim 43
annua, bima, trima die reddenda erat, hodie intra annum redditur, si in mobilibus consistat, etsi mobilia in locum immobilium subrogata fuerint Ludoui. Roman. singulari 228. si in immobilibus, statim reddenda est. *l. vn. §. exactio, C. de rei vxor. actio.* At pone: Conuenit in datione dotis, vt citeriori die dos redderetur, hæc conuentio valet. l. de die iur. de pactis dotal. Et pactum dotis dationi adiectum, formauit contractum, id est, hanc legem dationi dotis, vt citeriori die dos reddatur,

tur,dedit. Formauit quoque ipsam actio-
nem , id est , fecit, vt actio dotis nomine
competens posſit instirui, non expectata
annua,bima,trima die, vel non expectato
44 anno Sic tutor,qui tutelam non reddidit,
hoc eſt,non reddit rationem tutelæ admi-
niſtratæ,debet vſuras pecuniæ, quam ex
adminiſtratione tutelæ apud ſe habet, ſi-
ue in ſuos vſus pecuniam conuertit ſiue
non. Et quidem ſi in ſuos vſus pecuniam
pupillarem conuertit,legitimam vſuram
præſtat.*l.tutor qui repertorium, de adminiſtra.tuto.l.1.C.de vſur.pupilla.* aut vt dicitur
in l.qui ſine,§.1.de negot.geſt.præſtat ma-
ximas vſuras,id eſt præſtat centeſimam ,
ea enim legitima vſura fuit vſq; ad Iuſti-
niani tempora,quemadmodum expoſui ,
in prima pactorum diuiſione. ſup. Si pe-
cuniam in ſuos vſus non conuertit,præſtat
vſuram quæ in regione frequentatur. *d.l.
tutor qui repertorium, § ex cæteris cauſis.* Et
præſtat vſuras tutor vſque in diem ſen-
tentiæ,ſi iudex accipiatur.*l.1.§.vlt.inf. de
vſur.*vel etiam vſque in diem iudicii ac-
cepti. *l.Lucius Titius, § quæſitum eſt ,de ad-
miniſtrat.tuto.*ſi eo die tutor bonam fidem
agnoſcat,& tutelam reſtituat. Si ſine iu-
dice tutela reſtituatur,præſtat tutor vſu-
ras

tas in eum diem, quo tutelam restituit, *d. l. 1. § fin. de vsur. d. l. tutor qui repertorium, in fine, de administration. tuto.* quamuis interpellatus non fuerit. Pupillis enim & mi- 45
noribus mora fit in re ipsa, id est, sine interpellatione, ex constitutione D. Seueri. *l. cum verò, §. apparet, de fideicom. libertatibus. l. 3. C. in quibus causis in integ. restit. l. 5. C. de actio. empti.* idque fauor pupillorum & minorum facit. *d. l. 1. §. fin. inf. de vsu.* Finge nunc: Pupillus ab initio cùm inchoatur actio tutelæ, pactus est, vt maiores, quàm statutæ sunt, vsuræ præstarentur: hæc pactio format actionem tutelæ, hoc est, facit vt pupillus maiores vsuras
petere possit. Cæterum hæc omnia in a- 46
ctionibus bonæ fidei, vt in actione ex empto vendito, locato conducto, negotiorū gestorum, mandati, depositi, tutelæ & reliquis actionibus bonæ fidei, quas Iustinianus enumerat *in § actionum autem, Instit. de actionibus.* procedunt: non etiam in actionibus strictis. Nam ita Vlpian. inquit: quin imò nuda pactio interdum format ipsam actionem, vt in bonæ fidei iudiciis.
Solemus enim dicere, pacta conuenta in- 47
esse bonæ fidei iudiciis. *d. l. iuris gentium, §. quin imo, hoc tit.* Ac quidem in actioni-

bus bonæ fidei, tunc demum pacta for-
mant actionem, cum ex continenti sub-
secuta sunt. *d. §. quin imo*, vel in continenti:
l. in bonæ fidei, C. de pactis. Ex continenti
vel in continenti interdum significat duas
vel tres horas. Ita sumitur in l. Iulia, de a-
dulteriis coërcendis, quæ vult vt pater fili-
am adulteram in continenti occidat, &
dicitur in continenti occidisse si, dū adul-
terum occidit, filia profugit, & interposi-
tis horis apprehensa est à patre, qui eam
persequebatur *l. quod ait lex, ad legem Iuli-*
48 *am, de adulteriis.* Et ita in continenti Græci
interpretantur ἐντὸς δύο ὡρῶν, in mate-
ria defensionum quemadmodum Cuiac.
notauit *in 5. obseruationum cap. 18.* Nonnun-
quam ex continenti significat triduum,
vt in l. vltim. C. de errore aduocatorum, & no-
tauit Harmenopulus, lib. 6. epitoma. tit. vltim.
Hic ex continenti pacta fieri dicuntur,
quæ fiunt in ingressu contractus. *d. §. quin*
imò quæ ab initio fiunt. l. si vt certo, §. 1. commo-
dati. l. Lucius Titius, §. fin. depositi. vel in ini-
tio. *l. si alienam, C. de fideiussoribus*, vel ini-
tio *l. contractus. de reg. iur. l. initio, C. de pactis,*
inter empt. & venditor. vel cùm inchoatur
contractus vel actio, *vt dicitur in l. nec ex*
pratorio, in fine, de reg. iur. Græci ex conti-
nenti.

nenti. ἐν ἀρχῇ interpretantur. Si ex interuallo pacta subsequantur, non insunt ex parte actoris, non formant contractum, non formant ipsam actionem. *d. §. quin imò, de pactis. l. in bonæ fidei, C. eodem.* Vt si ex interuallo post emptionem tecum conuenero, vt ob euictionem satisdares, ob hanc causam agere tecum non possum, quia ex pacto actio non datur. *d. §. quin imò, vers. idem responsum scio.* Similiter si ex interuallo, post rem depositam vel precario acceptam, pactus sum tecum, vt culpam quoque præstares, culpæ nomine te conuenire non possum. Si item post diuortium conuenit, ne tempore statuto, dilationis dos reddatur, sed statim, hoc non valebit, ne ex pacto actio nascatur. *d. §. quin imò, vers. vt puta post diuortium.* Et denique si in tutelæ actione, hoc est, post tutelam, tutelæ actione iam inchoata, conuenit, vt maiores quàm statutæ sunt vsuræ præstentur, locum non habebit conuentio, ne ex pacto nascatur actio, *d. §. quin imò, vers. etsi in tutelæ.* Sanè pactum ex interuallo contractui adiectum, ex parte rei locum habebit, quia solent & ea pacta, quæ postea interponuntur, parere exceptionem. *d. §. quin imò.* Nec his quæ dixi 49

mus, quicquam aduersatur. *l. lecta, de rebus credit.* in qua ICtus docet, pacta in continenti facta inesse stipulationi, quæ contractus stricti iuris est. Nam pacta stipulationi in continenti adiecta insunt, ex parte duntaxat rei, non etiam ex parte actoris, quemadmodum facti species perspicue ostendit. Species hæc est. Scripsi me accepisse à Publio Mœuio quindecim mutua numerata mihi de domo. Per quindecim mutua nonnulli sestertia intelligunt. Et vnum sestertium valet mille sestertios siue nũmos, & ideò quindecim sestertia faciunt quindecim millia sestertiorũ siue nummorũ. Si res ad denarios redigatur, quorum vnus valet quatuor sestertios siue nummos, prouenient ter mille, septingenti & quinquaginta denarii. Sed hic sestertia non possumus intelligere, propterea quòd veteres sestertia significantes, numerum aduerbialiter proferebant hoc modo: decies, quindecies, centies, millies, quemadmodum apud Budæum in primo de asse videre licet. Per quindecim igitur mutua concisa oratione xv. millia denariorum intelligemus *l. si ita stipulatus fuero, § Chrysogonus. de verbo. oblig.* atq; ita Græci interpretantur, authore

Curatio

Cujacio *in l. si ita quis promiserit, de verb. obligat* His verbis, numerata mihi de domo, significat ICtus pecuniam non fuisse mutuo sumptam ab argentariis. Ac erat 50
olim duplex ratio credendæ pecuniæ. Interdum mutua pecunia sumebatur ex scriptura mensæ: interdum de domo. Ex mensæ scriptura dicebatur sumi pecunia, quando sumebatur ab argentariis, qui tabernas & mensas cum ære in foro positas habebant. *l. qui tabernas, de contrahend. empti.* vnde etiam mensarii appellabantur, vt expositum est in secunda pactorum diuisione supra. Et hoc casu nominibus contrahebatur obligatio. Dicebatur contrahi nominib9 ab eò, quòd Calendariis, id est, libris fœneratorum eorum, quibus pecuniæ credebantur, nomina perscribebantur, quæ inde tituli dicebantur, authore Asconio Pediano *in 3. Verrina.* Quando verò sumebatur pecunia mutua, non ab argentariis, sed aliunde, tunc dicebatur sumi de domo, *d. l. lecta,* siue ex arca, *l. quidam, de constituta pecun.* & contrahebatur obligatio vel re tantum, vel etiam verbis, si subdita erat stipulatio, *l. cum enim pecunia. de nouationibus.* Ac quidem nominatim solebat cautioni-

tionibus adhuc, verum pecunia mutua ex mensa argentarii, an vero ex domo siue arca sua numerata esset, quemadmodum constat ex d. l. lecta, & d. l. quidam, ac testatur Donatus in Phormio. in 5. actu. Scen. 9. Hodie, inquit additur chirographis domo ex arca sua, vel ex mensæ scriptura. Et hi duo modi contrahendæ obligationis significantur *in l. si plures, l. idem, & l. si vnus, §. vlt. de pact. l. si duo rei sunt, de recept.* In illis legibus Paulus ICtus, argentariis stipulatores vel promissores comparat. Significantur etiam supra dicti duo modi *in l. ..., de annuis legat.* vbi stipulationibus nomina adiunguntur. Scripsi igitur me accepisse a Publio Mœuio quindecim mutua numerata mihi de domo, & promisi, me quindecim illa redditurum Calendis proximis proba, recte. Hæc verba, proba, recte, explicationis gratia adiecta sunt. Proba denaria opponuntur adulterinis. Recte significat, ne quod periculum vel damnum ex ea re sit creditori. Id vt dixi, explicationis tantum gratia additum est.
51 Nam etiam alias reprobos nummos dare, & cum creditoris incommodo soluere non licet. *l. eleganter, §. quia reprobos de pignorat. actio. l. 3. de rebus cred.* Si non redde-

dercui ad diem dictum pecuniam promissi in dies triginta, itaq; centenos denarios singulos denarios. His verbis centesima vsura definitur, & simul eleganter ostenditur, vnde centesima dicta sit. Centesi- 52
ma vsura est, quæ reddit in triginta dies, & in centenos denarios singulos denarios, hoc est, quæ reddit in singulos menses pro centum denariis vnum, atq; ita quotannis duodecim denarios in centum. Dici- 53
tur centesima non ex eo, quòd centesimo mense æquat sortem, quemadmodum Budæus, Iohannes Mercerus & alii tradiderunt, sed quòd sortis centesima pars sit menstrua vsura. Veteres enim in singulos menses vsuras stipulabantur, quemadmodum hæc l. lecta, indicat. Ac quidem stipulabantur vsuras in diem Calendarum *d.l.lecta.* & inde fœneratoris libro Calendarii nomen impositum est, quemadmodum dictum est *in l. pactorum diuisione sup.* Ad eum tamen diem non soluebantur, sed plerunque dilatio dabatur in idus sequentes & ideò Horatius inquit:

Omnem redegit idibus pecuniam.

Porrò vbi hæc omnia inter me & P. Mœuium fuerunt acta, in continenti inter me & Publium Mœuium conuenit, vt ex sum-

floreni : tu euictionis nomine cauere mihi teneris, hoc est, teneris præstare nudam cautionem, non teneri quoque ob euictionem dare fideiussorem, quem vulgo authorem secundum vocant. *l. 4. in princ. de*
41 *euictionibus. l. si dictum, in princi. eodem.* Verùm si ab initio conuenit inter me & te, vt satisdares, id est, dares fideiussorem, conuentio huiusmodi siue pactum format contractum, hoc est, legem hanc, vt satisdetur, contractui dat, & format actionem ipsam, id est, facit vt actio ex contractu emptionis descendens porrigatur etiam ad id, quod pacto comprehensum est : & ideo per actionem empti possum te compellere, vt des nomine euictionis fideiussorem, quemadmodum tecũ pactus eram. *d. l. 4. in princi. de euictio. d. l. si dictum, eodem.*
42 Sic natura depositi & precarii est, vt lata culpa, quæ dolo proxima est, in iis præstetur, non vt præstetur etiam culpa leuis, quemadmodum, *c. 5. sup.* expositum est. Verùm si ab initio conuenit, vt depositarius, vel is qui precario rogauit, culpam quoque præstaret, rata erit conuentio. *d. l. 1. § . si conuenit, depositi.* Pactio enim, quæ ex continenti contractui adiecta est, format contractum id est, hanc legem deposito

sito & precario dat, vt in depositum & precarium veniat culpa leuis, quæ alias non veniret. Et ideò si depositarius, vel qui precario rogauit, in custodienda re deposita, vel quam precario accepit, non eam diligentiam adhibuit, quam diligens paterfamilias adhibuisset, possunt actione depositi, vel præscriptis verbis eo nomine conueniri: atque ita pactum format ipsam actionem, id est, facit vt actio depositi vel præscriptis verbis ob culpam, desidiam & negligentiam depositarii, vel eius qui precario rogauit, detur, cùm aliàs & extra huiusmodi pactionem, depositarius & qui precario rogauit culpam nō præstent. Sic soluto matrimonio, dos olim 43
annua, bima, trima die reddenda erat, hodie intra annum redditur, si in mobilibus consistat, etsi mobilia in locum immobilium subrogata fuerint Ludoui. Roman singulari 228. si in immobilibus, statim reddenda est. *l. vn. §. exactio, C. de rei vxor. actio.* At pone: Conuenit in datione dotis, vt citeriori die dos redderetur, hæc conuentio valet. l. de die inf. de pactis dotalib. Et pactum dotis dationi adiectum, formauit contractum, id est, hanc legem dationi dotis, vt citeriori die dos redda-
 tur,

tur,dedit. Formauit quoque ipsam actio-
nem , id est , fecit, vt actio dotis nomine
competens possit institui, non expectata
annua,bima,trima die, vel non expectato
44 anno. Sic tutor,qui tutelam non restituit,
hoc est,non reddit rationem tutelæ admi-
nistratæ,debet vsuras pecuniæ, quam ex
administratione tutelæ apud se habet, si-
ue in suos vsus pecuniam conuertit siue
non. Et quidem si in suos vsus pecuniam
pupillarem conuertit,legitimam vsuram
præstat. *l.tutor qui repertorium, de admini-*
stra.tuto.l.1.C.de vsur.pupilla. aut vt dicitur
in l.qui sine,§.1.de negot.gest.præstat ma-
ximas vsuras,id est,præstat centesimam ,
ea enim legitima vsura fuit vsq; ad Iusti-
niani tempora,quemadmodum exposui,
in prima pactorum diuisione. sup. Si pe-
cuniam in suos vsus non conuertit,præstat
vsuram quæ in regione frequentatur. *d.l.*
tutor qui repertorium, § ex cæteris causis. Et
præstat vsuras tutor vsque in diem sen-
tentiæ,si iudex accipiatur. *l.1. §.vlt.ist. de*
vsur. vel etiam vsque in diem iudicii ac-
cepti. *l.Lucius Titius, §.quæsitum est, de ad-*
ministrat. tuto. si eo die tutor bonam fidem
agnoscat,& tutelam restituat. Si sine iu-
dice tutela restituatur,præstat tutor vsu-
ras

ras in eum diem, quo tutelam restituit. *d. l. 1. § fin. de vsur. d. l. tutor qui repertorium, in fine, de administration. tuto.* quamuis interpellatus non fuerit. Pupillis enim & mi- 45
noribus mora fit in re ipsa, id est, sine interpellatione, ex constitutione D. Seueri *l. cum verò, §. apparet, de fideicom. libertatibus. l. 3 C. in quibus causis in integ. restit. l. 5. C. de actio. empti.* idque fauor pupillorum & minorum facit. *d. l. 1. §. fin. inf. de vsu.* Finge nunc: Pupillus ab initio cùm inchoatur actio tutelæ, pactus est, vt maiores, quàm statutæ sunt, vsuræ præstarentur: hæc pactio format actionem tutelæ, hoc est, facit vt pupillus maiores vsuras petere posit. Cæterum hæc omnia in a- 46
ctionibus bonæ fidei, vt in actione ex empto vendito, locato conducto, negotiorum gestorum, mandati, depositi, tutelæ & reliquis actionibus bonæ fidei, quas Iustinianus enumerat *in § actionum autem, Instit. de actionibus.* procedunt: non etiam in actionibus strictis. Nam ita Vlpian. inquit: quin imò nuda pactio interdum format ipsam actionem, vt in bonæ fidei iudiciis. Solemus enim dicere, pacta conuenta in- 47
esse bonæ fidei iudiciis. *d. l. iuris gentium, §. quin imò, hoc tit.* Ac quidem in actioni-

bus bonæ fidei, tunc demum pacta for-
mant actionem, cum ex continenti sub-
secuta sunt. *d. §. quin imò.* vel in continenti:
l. in bonæ fidei, C. de pactis. Ex continenti
vel in continenti interdum significat duas
vel tres horas. Ita sumitur in l. Iulia, de a-
dulteriis coërcendis, quæ vult vt pater fili-
am adulteram in continenti occidat, &
dicitur in continenti occidisse si, dũ adul-
terum occidit, filia profugit, & interposi-
tis horis apprehensa est à patre, qui eam
persequebatur. *l. quod ait lex, ad legem Iuli-*
48 *am, de adulteriis.* Et ita in continenti Græci
interpretantur ἐντὸς δύο ὡρῶν, in mate-
ria defensionum quemadmodum Cuiac.
notauit *in 5. obseruationum cap. 18.* Non nun-
quam ex continenti significat triduum,
vt in l. vltim. C. de errore aduocatorum, & no-
tauit Harmenopulus, lib. 6. epitoma. tit. vltim.
Hic ex continenti pacta fieri dicuntur,
quæ fiunt in ingressu contractus. *d. §. quin*
imò quæ ab initio fiunt. l. si vt certo, §. 1. commo-
dati. l. Lucius Titius, §. fin. depositi. vel in ini-
tio. *l. si alienam, C. de fideiussoribus,* vel ini-
tio *l. contractus. de reg. iur. l. initio, C. de pactis,*
inter empt. & venditor. vel cùm inchoatur
contractus vel actio, *vt dicitur in l. nec ex*
prætorio, in fine. de reg. iur. Græci ex conti-

nenti

uenti. in ἀρχῇ interpretantur. Si ex Interuallo pacta subsequantur, non insunt ex parte actoris, non formant contractum, non formant ipsam actionem. *d. §. quin imò, de pactis. l. in bonæ fidei, C. eodem.* Vt si ex interuallo post emptionem tecum conuenero, vt ob euictionem satisdares, ob hanc causam agere tecum non possum, quia ex pacto actio non datur. *d. §. quin imò, vers. idem responsum scio.* Similiter si ex interuallo, post rem depositam vel precario acceptam, pactus sum tecum, vt culpam quoque præstares, culpæ nomine te conuenire non possum. Si item post diuortium conuenit, ne tempore statuto, dilationis dos reddatur, sed statim, hoc non valebit, ne ex pacto actio nascatur. *d. §. quin imò, vers. vt puta post diuortium.* Et denique si in tutelæ actione, hoc est, post tutelam, tutelæ actione iam inchoata, conuenit, vt maiores quàm statutæ sunt vsuræ præstentur, locum non habebit conuentio, ne ex pacto nascatur actio, *d. §. quin imò, vers. etsi in tutela.* Sanè pactum ex interuallo contractui adiectum, ex parte rei locum habebit, quia solent & ea pacta, quæ postea interponuntur, parere exceptionem. *d. §. quin imò.* Nec his quæ diximus, 49

mus,quicquam aduersetur. *l. lecta, de rebus credit.* in qua ICtus docet, pacta in continenti facta in ea stipulationi, quæ contractus stricti iuris est. Nam pacta stipulationi in continenti adiecta insunt ex parte duntaxat rei, non etiam ex parte actoris, quemadmodum facti species perspicuè ostendit. Species hæc est: Scripsi me accepisse à Publio Mœuio quindecim mutua numerata mihi de domo. Per quindecim mutua nonnulli sestertia intelligunt. Et vnum sestertium valet mille sestertios siue nūmos, & ideò quindecim sestertia faciunt quindecim millia sestertiorū siue nummorū. Si res ad denarios redigatur, quorum vnus valet quatuor sestertios siue nummos, prouenient ter mille, septingenti & quinquaginta denarii. Sed hic sestertia non possumus intelligere, propterea quòd veteres sestertia significantes, numerum aduerbialiter proferebant hoc modo: decies, quindecies, centies, millies, quemadmodum apud Budæum in primo de asse videre licet. Per quindecim igitur mutua concisa oratione xv. millia denariorum intelligemus. *l. si ita stipulatus fuero, §. Chrysogonus de verbo. oblig.* atq; ita Græci interpretantur, authore Curatio

Cuiacio *in l. si ita quis promiserit, de verb. obligat* His verbis, numerata mihi de domo, significat ICtus pecuniam non fuisse mutuo sumptam ab argentariis. Ac erat 50
olim duplex ratio credendæ pecuniæ. Interdum mutua pecunia sumebatur ex scriptura mensæ: interdum de domo. Ex mensæ scriptura dicebatur sumi pecunia, quando sumebatur ab argentariis, qui tabernas & mensas cum ære in foro positas habebant. *l. qui tabernas, de contrahend. empti*. vnde etiam mensarii appellabantur, vt expositum est in secunda pactorum diuisione supra. Et hoc casu nominibus contrahebatur obligatio. Dicebatur contrahi nominibꝰ ab eò, quòd Calendariis, id est, libris fœneratorum eorum, quibus pecuniæ credebantur, nomina perscribebantur, quæ inde tituli dicebantur, authore Asconio Pediano *in 3. Verrina.* Quando verò sumebatur pecunia mutua, non ab argentariis, sed aliunde, tunc dicebatur sumi de domo, *d. l. lecta*, siue ex arca, *l. quidam, de constituta pecun.* & contrahebatur obligatio vel re tantum, vel etiam verbis, si subdita erat stipulatio, *l. cum enim pecunia. de nouationibus.* Ac quidem nominatim solebat cautioni-

tionibus adieci, verum pecunia mutua ex mensa argentarii, an vero ex domo sue arca sumpta est, quemadmodum constat ex *d. l. lecta, & d. l. quidam, ac testatur Donatus in Phormio. in 5. actu. Scen. 9.* Hodie, inquit additur chirographis domo ex arca sua, vel ex mensæ scriptura. Et hi duo modi contrahendæ obligationis significantur *in l. si plures, l. idem, & l. si vnus, h. tit. de pact. l. si duo rei sunt, de recept.* In illis legibus Paulus ICtus, argentariis stipulatores vel promissores comparat. Significantur etiam supra dicti duo modi *in l. 1. de auro leg. at.* vbi stipulationibus nomina adiunguntur. Scripsi igitur me accepisse à Publio Mœuio quindecim mutua numerata mihi de domo, & promisi, me quindecim illa redditurũ Calendis proximis proba, rectè. Hæc verba, proba, rectè, explicationis gratia adiecta sunt. Proba denaria opponuntur adulterinis. Rectè significat, ne quod periculum vel damnum ex ea re sit creditori. Id vt dixi, explicationis tantùm gratia additum est.

51 Nam etiam aliis reprobos nũmos dare, & cum creditoris incommodo soluere non licet. *l. eleganter, §.* quia reprobos *de pignorat. actio. l. 3. de rebus cred.* si non red-

de-

deretu ad diem dictum pecuniam promissi in dies triginta, inq; centenos denarios singulos denarios. His verbis centesima vsura definitur, & simul eleganter ostenditur, vnde centesima dicta sit. Centesima vsura est, quæ reddit in triginta dies, 52
& in centenos denarios singulos denarios, hoc est, quæ reddit in singulos menses pro centum denariis vnum, atq; ita quotannis duodecim denarios in centum. Dici- 53
tur centesima non ex eo, quòd centesimo mense æquat sortem, quemadmodum Budæus, Iohannes Mercerus & alii tradiderunt, sed quòd sortis centesima pars sit menstrua vsura. Veteres enim in singulos menses vsuras stipulabantur, quemadmodum hæc l. lecta, indicat. Ac quidem stipulabantur vsuras in diem Calendarum *d.l.lecta.* & inde fœneratoris libro Calendarii nomen impositum est, quemadmodum dictum est *in l.pactorum diuisione sup.* Ad eum tamen diem non soluebantur, sed plerunque dilatio dabatur in idus sequentes & ideò Horatius inquit:

Omnem redegit idibus pecuniam.

Porrò vbi hæc omnia inter me & P. Mœuium fuerunt acta, in continenti inter me & Publium Mœuium conuenit, vt ex sum-

summa suprà scripta soluerem singulis mensibus trecenos denarios, atq; ita mutauimus diem modumq; solutionis. Cum enim stipulanti promisissem, me totam sortem Calendis futuris soluturum, mox conuenit, vt sortem soluerem diuisis pensionibus: de vsuris verò nihil fuit dictum. Pone nunc: Ego Calendis proximis trecenos denarios P. Mœuio non solui: quæritur vtrum currant ex Calendis proximis vsuræ totius sortis, an ex singulis mensibus vsuræ pensionum tantum. P. Mœuius, mora facta, totius sortis vsuras petit ex stipulatione, ego contra dico, me duntaxat debere trecentorũ denariorũ vsuras quia trecentos denarios Calendis proximis debui soluere: quæritur quid iuris sit? Paulus respondit, me totius sortis vsuras non debere, sed istorũ trecenorũ denariorum tantùm, quos Calendis futuris debuissem soluere. Pactum enim, inquit Paulus, in continenti factum inest stipulationi, hoc est, pactum mutauit formam stipulationis vtriusq; & sortis solutionem distulit & diuisit, distulit quoq; & diuisit vsurarum solutionem: & ideo P. Mœuius totius sortis vsuras à me petere non potest. Atque ita *ex d.l. lecta*, apparet, quod
54
pactum

pacti in continenti stipulationi adiecti, inest tantum ex parte rei: ex parte actoris, vt formet actionem ex stipulatu, pactum inesse non probat. Sic pactum inest stipulationi ex parte rei tantum *in l. 4. §. fin. in c. tit* in qua huic conuentioni, vt donec vsuræ soluerentur, sors non peteretur, pura stipulatio subdita fuit, & respósum est, conditioné, id est, tacitam pactionem stipulationi inesse, atq; si hoc expressum fuisset, & ideo si creditor sortem petat ex stipulatione poterit exceptione conuentionis tacitæ, quòd sors peti non posit, solutis vsuris, repelli, quemadmodum in prima pactorum diuisione sup-latius expositum est. Non obstat deinde, *l. petens, C. de pactis.* Nam ea lex, vt verba ipsa indicant, loquitur de pacto stipulatione confirmato, non de stipulationis lege siue de pacto, quod legem contractui stipulationis dedit. Hoc amplius non obstat. *l. venditor, communia prædio.* in qua dicitur, per stipulationis vel venditionis legem nos obligari. Nec enim hoc vult dicere ICtus, quòd obligamur per pactionem adiectam stipulationi, sed sententia ICti hæc est, quòd per stipulationem adiectam venditioni obligamur, vel per pactio-

pactionem adiectam venditioni. Et ley est non solum pactio, sed & stipulatio ia-cta statim in ipso contractu. *Cuiatius* [illegible] *ad Affricanum. in explicatione l. Titius Sempronio, de præscriptis verbis.* Deniq; ei quod diximus, pactum formare actionem ipsa bonæ fidei, non obstat. *l. 2. C. de pactis inter emptorem & venditorem*, quæ fundo vendito ea lege, vt si pretium intra diem certum refunderetur, fundus restitueretur, [illegible] pretio & fundo non restituto, dicit competere actionem præscriptis verbis vel ex
55 vendito. Nam dicendum est olim inter Sabinianos & Proculeianos hanc quæst. om- fuisse controuersam, vtrum ex pacto bonæ fidei contractui ex continenti adiecto, dari deberet actio præscriptis verbis, an verò id, quòd pacto comprehensum est, peti deberet actione ex ipso contractu descendente. Et quidem Proculus actionem præscriptis verbis dabat. *l si vir vxori, de præscript. verb.* ibi maritus vendidit vxori fundos, ea lege, vt soluto matrimonio eos volenti marito reuenderet, & Proculus dicit marito actionem præscriptis verbis competere. Sabinus contrà dicebat, competere actionem ex contractu ipso descendentem, cui pactum erat in continenti adiectum

ſectum *l. ſi conuenit, de reſcin. vendit.* ibi rei venditæ hæc lex fuit appoſita, vt ſi intra certum tempus diſplicuiſſet, redderetur: & Paulus affirmat, Sabinum putaſſe ex empto eſſe actionem, & ſubiicit Paulus, aut proxima empti in factum dabitur, id eſt, dabitur præſcriptis verbis actio: & hæc ſententia fuit Proculi. Sic hoc diſsidium inter Proculum & Sabinum indicatur *in l. Labeo, 50. de contrah. empt.* ibi bibliothecam mihi vendideras, ſi Campani locum mihi vendidiſſent, in quo eam ponerem, & per me ſtetit, quò minus id à Campanis impetrarem. Hoc caſu Labeo ſcripſit, non eſſe dubitandum, quin præſcriptis verbis agi poſsit. Et ſubiicit Vlpianus, ſe putare etiam ex vendito agi poſſe. Poſtea Imperatores hoc diſſidium Proculeianorum & Sabinianorum compoſuerunt, data non actione præſcriptis verbis, ſed illa quæ ex contractu deſcendit, cui pactum ex continenti adiectum eſt. *l. ſi fundus, de l. commiſſo. l. Imperator Seuerus, de in diem addict. l. 2. C. de pact. inter empto. & vendito.* In l. ſi fundus, fundus lege commiſſoria venierat, hoc eſt, vt niſi intra certum diem pretium eſſet ſolutum, fundus inemptus fieret, & ICtus refert,

T

fert, competere hoc casu actionem ex vendito, & quod notandum est, diuisi decisam esse quaestionem constitutionibus Imperatorú Antonini & Seueri, *in l. Imperator Seuerus*, erat fundus venditus hac lege, vt meliori conditione intra certum diem non allata, emptor fundum retineret, & ICtus docet, allata meliori conditione, fructus in diem addictionis esse restituendos actione empti venditi ex constitutione Seueri. In l. 2. C. de pactis inter empt. dicitur, non refuso pretio & fundo non restituto, competere actionem ex vendito. Nam ibi dictio, vel corrigit, vt & *in l. is qui commodatum, §. si libero homini, commodati.* Sic, nisi corrigit, vt supra dictum est. Post hæc Imperatorum rescripta ICti passim affirmarunt, pacto in continenti apposito venditionis contractui, competere actionem ex vendito, *vt in l. si sterilis §. si tibi fundum, de actionibus empti. l. qui fundum,*
56 *de contrahenda empt.* Tertius pactorum effectus est, quòd pacta ex interuallo facta tollunt, mutant, reformant & qualificant contractum bonæ fidei, si omnibus integris fiant de his, quæ ex natura siue substantia contractus sunt, *d. l. iuris gentium, §. adeo autem, hoc tit.* Dico ex natura siue

sub-

substantia, propterea quòd Iurisconsulti hæc duo pro eodem accipiunt, *§. de illa, d. l. 1. de societate.* & notauit Cuiatius *in prolegomenis feudal. circa finem.* Ex natura autem siue substantia contractus emptionis & venditionis sunt merx, pretium & consensus, *toto tit. de empt. & vendit. in Instit.* Si igitur domo vendita, omnibus integris, id est, pretio nondū numerato, & domo nondum tradita, conuenerit vt dom9 inempta esset, tollitur contractus, & consensu eorum, qui inter se obligati sunt, abitur & receditur ab emptione, *d. §. adeò, l. ab emptione, in princ. hoc tit.* Sic res, merces & consensus sunt ex natura siue substantia locationis & conductionis. toto tit. de locatio. & conductio. in Instit. Et ideò si domo locata, omnibus integris, id est, mercede nondum data, & domo nondum tradita conuenerit, ne domus esset locata, similiter tollitur contractus, & mutuo hoc consensu à locatione & conductione disceditur. Et generaliter ab emptione venditione, locatione conductione, cæterisque similibus obligationibus, quin integris omnibus, consensu eorum, qui inter se obligati sunt, recedi possit, dubium non est.

 d. l. ab

57 *d.l.ab emptione & tit.* Non solùm verò initum ab emptione & venditione, similibusq; bonæ fidei contractibus, sed etiam pro parte, pactione discedi potest. Vt: si omnib. integris conueniat, vt pars rei emptæ vel locatæ, inempta vel non locata esset. Et hoc Iurisconsultus his verbis vult significare, si in totum ab emptione abiri potest, cur non & pars eius pactione mutari potest, *d. §. adeo, h. tit.* Sic contractus in totum potest reformari. Vt: si contracta emptione & venditione, omnibus adhuc integris conuenerit, vt domus 800. florenis empta, esset empta mille florenis pactum ex interuallo adiectum, reformat & quasi renouat contractum emptionis & venditionis. Idem dicendum est, si omnibus integris pretium fuerit diminutum. Vt: si conuenit, vt domus quæ mille florenis empta est, empta esset 800. florenis. Hoc pacto prior contractus reformatur, & quasi renouatur. Quemadmodum enim contractus in totum pacto tollitur: ita & pactione reformari potest, vt quodammodo quasi renouatus contractus videatur. *d.l.iurisgentium, §. adeo, h. tit.* Ait ICtus, quodammodo quasi renouatum contractum videri. Papinianus dixit,

xit, nouam emptionem intercessisse videtur *l. pacta conuenta, de contrah. emptio.* sed subtiliter loquendo, non tam noua emptio est, quàm emptio reformata, vt ICtus hic docet. Potest quoque contractus pro parte reformari & quasi renouari, vt si conueniat, vt augeatur vel minuatur pretium, non totius rei emptæ, sed partis duntaxat. Et hoc Iurisconsultus significat his verbis: vnde illud æquè non reprobo, quod Pomponius probat, posse in parte recedi pacto ab emptione, quasi repetita partis emptione. Repetita emptione partis, id est, reformata emptione partis. Repetere enim emptionem nihil aliud est, quàm reformare, *vt indicat l. 2. de rescin. venditio.* Et hoc casu, cùm contractus omnibus integris reformatur, repetitur & quasi renouatur in totum vel in partem, pactum ad actionem proficit *d. §. adeo, h tit.* id est, tunc datur actio, non quidem ex ipso pacto, sed ex contractu reformato, repetito & renouato. Et hæc est sententia *d. §. adeo.* in quo pro exceptione legendum est depectiones, quemadmodum Iacobus Cuiatius legit *lib. 2. obseruation. c. 15.* & depectiones nihil aliud sunt, quàm pactiones siue pacta: aut le-

gendum est, pactiones, atq; ita Duarenus legit. Quæ ex eodē contractu sunt, id est, quæ sunt ex natura siue substātia contractus, Græci interpretantur κατὰ φύσιν τοῦ συναλλάγματος vt in Synopsi basilicon *lib. 11.* & apud Harmenopulū *lib. 1. epitom. titulo 9.* videre licet. Re nondum secuta, id est, omnibus integris, *vt dicitur in l. ab emptione, h. tit. & in l. pacta conuenta, de contrah. emptio.* vel dum res est integra, *vt dicitur in l. 2. de rescinden. vendit. inf.* Quartus effectus pactorum est, quòd prius pactum per posterius eliditur, *l. si vnus, §. pactus ne peteret, h. tit.* Verbi gratia. Debeo Titio centum,
58 Titius pactus est ne peteret. Hîc ipso iure actio, quam Titius in me habet, sublata non est: Ideoq; potest Titius me conuenire, vt centum ipsi soluam. Verùm si agat Titius & me conueniat, possum agentem repellere, exceptione conuentionis siue pacti. Quòd si post tale pactum, inter Titium & me conuenit, vt Titius peteret, egoq; Titio exceptionem conuentionis obiiciam, repellet me excipientem Titius replicatione posterioris conuentionis: atque ita prius pactum per posterius eliditur. Elidere est tollere atque submouere, eoque verbo Iurisconsultus quoque

nec ritum in l. 2. §. [illegible] de doli mali & metus exceptio. l. si [illegible] § [illegible] pignori [illegible] [illegible]tem. de [illegible]dicto. Haec autem exceptio non sit ipso iure, id est, non fit potestate aequitatis, quae pacta sustinentur, sed replicatione opus est, in eoq; pactum differt à stipu- 159
latione. Nam stipulatio ipso iure per stipulationē tollitur, si hoc actum sit. *d. l. si vnus, § pactus, ne peteret, hoc tit.* Haec verba, si hoc actū sit, solent vsurpare Iurisconsulti, cum de nouatione loquuntur, *quemadmodum ex l. 2. 6. 8. 26. & aliis legibus sub titulo de nouationibus & l. si seruum stipulatus fuero, in fine. de verb. obligatio. constat.* Et ante Iustinianum fiebat nouatio, si id agebatur. Hodie id specialiter exprimi oportet. *l. vlt. C. de nouatio. Alciatus in l. quibus, nu. 8. de verbo. obligatio.* idq́, ex illa lege Tribonianus adiecit in l. qui vsumfructum, de verbo. obligatio. & ibi Iacobus Cuiatius notauit. Hoc igitur Iurisconsultus vult dicere, stipulatio tollitur per stipulationem ipso iure, si hoc actum sit, id est, si stipulatio nouandi causa interposita fuerit. Vt, maritus stipulatus est, dotem sibi dari ab extraneo: postea idem maritus dotem ab extraneo sibi promissam,

 ab

ab vxore dotis nomine, nouandi causa stipulatus est. Hic dos non duplatur, sed prior stipulatio, per posteriorem stipulationem nouandi causa interpositam, ipso iure tollitur. Sic quoque si Titius mihi stipulanti decem promisit, eaque ego postea à Sempronio nouandi causa stipulatus sum, prior stipulatio per posteriorem ipso iure tollitur. *d.l.8. §.si ab alio promissam, de nouatio.* Nonnulli suprà dicta verba, stipulatio per stipulationem ipso iure tollitur, ad acceptilationem censent esse referenda, hoc sensu stipulatio tollitur per stipulationẽ, id est, acceptilationem. Sed cum acceptilationis natura ea sit, vt omnem verborum obligationem tollat, quemadmodum expositum est sup. in prima pactorum diuisione circa finem, & Iurisconsultus hic tradat, stipulationem stipulatione tolli, si hoc actum sit, sequitur, non posse nos per posteriorem stipulationem, acceptilationem intelligere. Aliud quoque est acceptilatio, aliud stipulatio. Stipulatio obligationem parit, acceptilatio liberationem. Non possumus quoque per stipulationem posteriorem, intelligere Aquilianam stipulationem. Aquiliana namque stipulatio, non stipulationem, sed cæteras obligatio-

gatio-

gationes nouat, vt in supra dicta prima pactorum diuisione explicatum est. Ratio vero, cur prius pactum per posterius non ipso iure elidatur, stipulatio autem ipso iure per stipulationem tollatur, hæc est, quòd in stipulationibus ius continetur, in pactis factum versatur. *d. §. pactus ne peteret.* Quemadmodum autem prius pactum per posterius eliditur, reo paciscente, ne creditor peteret: ita quoque prius pactū per posterius tollitur, si fideiussor cum creditore pactus fuerit, ne à se peteretur. Verbi gratia: Sempronius fideiussit pro Titio, & pactus est cum creditore, ne à se peteretur. Hæc pactio Sempronio ad exceptionem proficit. Si enim Sempronius à creditore conueniatur, quod ipso iure, vt sæpius iam dictum est, fieri potest, potest Sempronius creditorem exceptione conuentionis repellere. Verùm si Sempronius, post interpositam pactionem ne à se peteretur, rursus conuenerit, cum creditore, vt liceret creditori à se petere, exceptio Sempronii, replicatione posterioris conuentionis siue pacti elidetur, atque ita contingit, ne fideiussoribus prius pactū prosit, vt Iurisconsultus loquitur *in d. §. pactus ne peteret, vers. eadem ratione.* Ille ver-

ficulus de fideiussoris pacto accipiendus est, non de pacto rei. Et Paulus postquam tradidit, prius rei pactum posteriori pacto elidi, subiicit idem esse dicendum in pacto fideiussoris, atque ita dictus versiculus, eadem ratione contingit, non pugnat cum l.fina, hoc tit de pact. Ibi reus pactus erat, ne à se pecunia peteretur. Hoc pactum fideiussori quoque proficit. Rei enim interest fideiussoris obligationem dissolui, ne ipse à fideiussore actione mandati aut negotiorum gestorum conueniatur. *l.quod dictum est, hoc tit. l. 4. de negot. gestis.& expositum est supra in 3. pactorum diuisione.* postea reus pactus est, vt à se peti liceat: Quæritur an vtilitas prioris pacti fideiussori sit sublata. Et verius est, inquit ICtus, semel acquisitam fideiussori pacti exceptionem, vlterius ei inuito
60 extorqueri non posse *d l.fin. hoc tit.* Porrò quod diximus, prius pactum posteriori elidi siue submoueri, tunc verum est, cum per prius pactum actio ipso iure sublata non est. Si pactum conuentum tale fuit, quod actionem quoque tolleret, prius pactum per posterius non eliditur. Vt puta. Titio iniuria à me facta est, pactus sum cum Titio ne iniuriarum ageret. Hoc pa-

pacto ipso iure iniuriarum actio est subla-ta. *l.si tibi decem,§.1 hoc tit.* quia hoc pa-ctum legitimum pactum est, & legitimo pacto actio tollitur.l.6 h.tit. & expositum est in secunda pactorum diuisione sup. Si ergo inter me & Titium postea conuene-rit, vt Titius, si vellet, iniuriarum ageret, prius pactum per posterius non eliditur, quia actio iniuriarum priori pacto subla-ta est, & posterius pactum ad actionem parandam inefficax est. Non enim ex pacto iniuriarum actio nascitur, sed ex contumelia. *d.l.si vnus,§. pactus ne peteret, vers.si pactum conuentum hoc titulo, de pactis.* Sic pactio quæ fit de furto, legitima pa-ctio est,& ipso iure furti actionem tollit. *l.iuris gentium, §. si paciscor. ibi.nam & de furto d.l.si tibi decem,§.1 hoc titulo.* & ob id si pactus ne furti ageret, postea conue-nit vt ageret, prius pactum posteriori non eliditur. Etenim prius pactum furti a-ctionem sustulit, eamque sublatam poste-rius pactum restituere non potuit. Nec furti actio ex pacto, sed ex contrectatio-ne fraudulosa rei alienæ nascitur. Est namque furtum contrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratia, &c. vt Iustinianus defi-

deñnit *in §. 1. Instit. de obligatio. quæ ex delicto nascuntur.* Idem, inquit ICtus, dicimus & in bonæ fidei contractibus, si pactum conuentum totam obligationem sustulit. *d. l. si vnus, § pactus ne peteret, versi. idem dicemus, hoc tit.* Verbi gratia: Emi à te domum mille florenis, & omnibus integris conuenit, vt domus inempta esset. Hic pactum totam obligationem sustulit. Mutuo namque dissensu ab emptione & venditione discessum est, vt sup. latius est expositum. Et si postea inter me & te conueniat, vt domus mihi esset empta mille florenis, posteriori hoc pacto, obligatio sublata non resuscitatur, sed proficit, inquit ICtus, pactum, ad nouum contractum, hoc est, posterius hoc pactum, quod ego & tu facere putamus, non pactum est, sed nouus contractus, quia de nouo consentimus super merce & pretio. Quòd si non, vt totum contractum tolleret, pactum conuentum intercessit, sed vt imminueret, posterius pactum potest renouare primum contractũ. *d. l. si vnus. § pactus ne peteret, ver. quòd si non vt totum.* Vt pone: Domus empta est pro mille florenis, conuenit, vt empta esset pro octingentis. Hoc casu pactum, omnibus

bus integris, interpositum reformauit & renouauit contractum emptionis & venditionis, ita vt domus iam non amplius pro mille, sed duntaxat pro octingentis florenis sit empta, quemadmodum supra copiosius explicatum est Si postea conuenerit, vt domus empta esset mille florenis, hoc posterius pactum renouat contractum, cumque priori suæ formæ reddit. *l. emptor, in prin. h. tit. n.* ibi emptor prædij cauet, se soluturum viginti, postea inter emptorem & venditorem conuenit, vt tredecim soluerentur: pacto prior contractus est reformatus. Debitor postea ad eorum solutionem conuentus, pactus est, vt si tredecim intra finitum tempus soluta non essent, viginti ex prima cautione ab eo peterentur. Et ICtus respondit, cùm posteriori pacto satisfactum non sit, omne debitum ex prima cautione peti posse, atque ita posterius pactum primum contractum renouauit, & priori suæ formæ reddidit: quod & in specie dotis actionis procedit. Pone enim: Mulier cùm dotem daret pacta est, vt præsenti die dos reddetur. Hæc pactio valet, eaque dotis contractum, & ipsam dotis actionem format, vt sup. dictum est. Pacta deinde

mu-

mulier est, vt tempore ei legibus dando reddatur, hoc est, vt reddatur non statim, non præsenti die, sed annua, bima, trima die, vel annua die ex Iustiniani constitutione, vt sup. est expositum. Hoc posterius pactum facit dotem redire ad ius suum. Et ideò mulier soluto matrimonio dotem statim petere non potest, sed demum eam potest, annua, bima, trima die, secundum ius vetus, vel annua die secundum Iustiniani constitutionem. Hoc enim ius dotis est *d. l. si unus. §. pactum ne peteret, vers. quod & in specie dotis. h. tit.* Nec hic deterior conditio dotis fit per pactum. Quoties enim, inquit ICtus, ad ius quod lex naturæ eius tribuit, de dote actio redit, non fit causa dotis deterior, sed formæ suæ redditur. d. versi. quod & in specie dotis. Atque ita hinc apparet, quòd quælibet res de facili ad suam primæuam naturam reuertitur, quod interpretes vulgò ex d. versi. quod & in specie dotis, notare solent. Et facit huc quod Boëtius, scribit:

Repetunt proprios quæq; recursus,
Redituq; suo singula gaudent,
Nec manet vlli traditus ordo.
Nisi quod fini iunxerit ortum
Stabilemq; sui fecerit orbem.

Eosq;

Eosq; versus ex Boëtio refert Fernandus Vasquius *libro 2. controuers. illustr. c. 56. num. 14. & eiusdem c. 82. num 4.* Socinus senior, *consil. circa praestitum confusionem. col. 6.* Quintus pactorum effectus est, quòd pacta naturalem obligationē producunt *l. 5. §. 1. ubi, ex pacto naturaliter debebantur, de solutio.* Sic quoque pacta naturalem obligationem tollunt, *l. Stichum, §. naturalis, de solutio.* idque ipso iure, vt ICtus *in d. §. naturalis*, loquitur hoc est, æquitatis potestate: ciuilem obligationem ipso iure non tollunt, sed per exceptionem, & hæc rursus non nisi per replicationem eliditur, vt paulo ante expositum est. 61

Ad huius quidem naturalis obligationis, quæ ex pactis nascitur, magnus est effectus Etenim naturalis obligatio conditionem indebiti impedit, & indebitum non dicitur, quod nudo pacto promissum est. Ideoque si nudo pacto tibi fœnebris pecuniæ vsuras promisi, easque solui, tanquam indebitas vsuras repetere non possum. *l. 3. C. de vsuris.* Naturalia quoque debita in compensationem veniunt. Sic enim Vlpianus inquit, etiam quod natura debetur, venit in compensationem, *in l.* 62

etiam,de compensat. Seruantur etiam naturalia debita per retentionem pignoris, si modò pignus in naturaliter debitum acceptum fuerit.*l.per retentionem, & l. pignoribus, C. de vsur.* Hoc amplius creditor pecuniam simpliciter solutam, in vsuras ex pacto naturaliter duntaxat debitas,computare potest.*l si vsuras, C.de vsuris.* Denique naturali obligationi fideiussor accedere potest.*l.fideiußor, § fideiussor, de fideiussorib.§ 1.Instit.de fideiussorib.* Po-
63 stremus pactorum effectus est, quòd pacta iure pontificio actionem producunt.*c.1.& 3.ext.de pactis.* Idque ab interpretibus ad hunc titulum nostrum,*& ad l.lecta,de rebus creditis.& alibi pasim notatum est.* Et hic laboris nostri finis esto. Deus faxit vt omnia ad nominis sui gloriam cedant.



INDEX

INDEX MATERIARVM, QVAE PRAEcipue in hoc libro continentur. Prior numerus follum posterior numerum summariarum cuiuslibet columnæ significat.

A

Actio

Con-

sen-

D

Difa-

E

Ea

Fide-

Hypo-

N

O

Ordo

N

O

Ordo

Pactio,

Petitio

Prodi

Sala-

S

Vocu-



FINIS.